


This is a digital copy of a book that was preserved for generations on library shelves before it was carefully scanned by Google as part of a project to make the world's books discoverable online.

It has survived long enough for the copyright to expire and the book to enter the public domain. A public domain book is one that was never subject to copyright or whose legal copyright term has expired. Whether a book is in the public domain may vary country to country. Public domain books are our gateways to the past, representing a wealth of history, culture and knowledge that's often difficult to discover.

Marks, notations and other marginalia present in the original volume will appear in this file - a reminder of this book's long journey from the publisher to a library and finally to you.

Usage guidelines

Google is proud to partner with libraries to digitize public domain materials and make them widely accessible. Public domain books belong to the public and we are merely their custodians. Nevertheless, this work is expensive, so in order to keep providing this resource, we have taken steps to prevent abuse by commercial parties, including placing technical restrictions on automated querying.

We also ask that you:

+ *Make non-commercial use of the files* We designed Google Book Search for use by individuals, and we request that you use these files for personal, non-commercial purposes.

+ *Refrain from automated querying* Do not send automated queries of any sort to Google's system: If you are conducting research on machine translation, optical character recognition or other areas where access to a large amount of text is helpful, please contact us. We encourage the use of public domain materials for these purposes and may be able to help.

+ *Maintain attribution* The Google "watermark" you see on each file is essential for informing people about this project and helping them find additional materials through Google Book Search. Please do not remove it.

+ *Keep it legal* Whatever your use, remember that you are responsible for ensuring that what you are doing is legal. Do not assume that just because we believe a book is in the public domain for users in the United States, that the work is also in the public domain for users in other countries. Whether a book is still in copyright varies from country to country, and we can't offer guidance on whether any specific use of any specific book is allowed. Please do not assume that a book's appearance in Google Book Search means it can be used in any manner anywhere in the world. Copyright infringement liability can be quite severe.

About Google Book Search


Google's mission is to organize the world's information and to make it universally accessible and useful. Google Book Search helps readers discover the world's books while helping authors and publishers reach new audiences. You can search through the full text of this book on the web at `http://books.google.com/`

P A
4413
G5
1883
MAIN



$B 253 169

YB00376


LIBRARY
UNIVERSITY OF CALIFORNIA
LET THERE BE LIGHT
UNIVERSITY OF CALIFORNIA
ORGANIZED 1868
JANE K. SATHER
LIBRARY FUND.
Accession 108013
Class 755z G46

MELETEMATA SOPHOCLEA.

DISSERTATIO INAUGURALIS

QUAM

AD SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES

AB AMPLISSIMO


PHILOSOPHORUM ORDINE LIPSIENSI

RITE IMPETRANDOS

SCRIPSIT

JOANNES GILBERT

BUDISSINUS.



DRESDAE

TYPIS B. G. TEUBNERI.

1883.

SATHER

PA 4413
G5
1883
MAIN



Aiacis fabulae Sophocleae stasimo tertio, quod inde a versu 1185 usque ad versum 1222 chorus extendit, nautae Salaminii conqueruntur diuturni belli labores ac molestias (stropha prima) exsecranturque eum, qui populo Graiorum arma monstraverit[1]) (antistropha prima). Nam omnes sibi vitae voluptates ademptas esse, sub divo se cubare, rore madefieri capillos (stropha altera); nunc vero etiam ultimam spem ac praesidium sibi ereptum esse, Aiacem. Itaque maximo opere exoptant, ut ad Sunium advehantur salutentque Athenas (antistropha altera).

Huius stasimi antistropha prima in codice Laurentiano **Ai. 1196.**
A sic fere legitur:

Ὄφελε πρότερον αἰθέρα δῦναι μέγαν ἢ τὸν πολύκοινον Ἅιδαν
κεῖνος ἀνήρ, ὃς στυγερῶν ἔδειξεν ὅπλων
Ἕλλασιν κοινὸν Ἄρη·
ἰὼ πόνοι πρόγονοι πόνων·
κεῖνος γὰρ ἔπερσεν ἀνθρώπους.

De librorum memoria hoc satis erit dicere post *Ἕλλασιν* in La litteras quattuor erasas esse.

Statim de sententia primaria antistrophae magna nascitur interpretum dissensio. Quaeritur enim, quis intellegatur *κεῖνος ἀνήρ, ὃς — Ἄρη*. Triplicem autem cum discernamus explicandi rationem, quae praeferenda sit, non dubitabimus. Schneidewinus enim et Nauckius chorum diras illas Paridi imprecari censent: „*Möchte der Anstifter alles Unheils, Paris, von der Erde vertilgt worden sein, ehe er Helena entführte!*“ Quae quidem sententia cum neque in verba *στυγ. ἔδ. ὅπλ. Ἄρη* neque in finem antistrophae *κεῖνος ἔπερσεν ἀνθρώπους* conveniat, iure neminem eam sequi

adn. 1) Consulto verbis utor ambiguis, quae quomodo intellecta velim, mox indicabo.

108013

video[1]). Multo vero minorem probabilitatem habet, quae a Wundero proposito, a Dindorfio accepta est, interpretatio; illi enim „qui Graecis invisorum armorum communem pestem monstravit“ vertenti Tyndareus significari videtur, qui belli a Graecis adversus Troianos gesti primus dicatur auctor fuisse. Quae sententia tam remota a verbis poetae, ut vix coniectura reperiatur, haud scio an nemini nunc probetur nec videtur mihi uberius refellenda esse. Restat tertia quaedam explicatio scholiastae,[2]) quam Wolffius[3]) recepit: eum exsecratione affici, qui primus arma invenerit eorumque usum docuerit homines; pro quibus quod „Grai“ dicuntur minime offensioni est. Hanc autem solam esse veram huius loci explicandi rationem equidem pro certissimo habeo. Nam et verba ipsa tam generaliter dicta (*ἔπεϱσεν ἀ ν θ ϱ ώ π ο υ ς*)

---

1) Item in v. 1197 perperam Schneidew. (ed. II. 1853) et Nauckius (ed. VI. 1871) e sua ratione antistrophae explicandae „*πόνοι*“ dicunt esse „*das dem Menelaus angethane Unrecht und die daraus entstehende Noth, welche immer neue Kriegsnöthe erzeugt*“. Quamquam Nauckius de scriptura dubitat: „*allerdings ist πϱόγονοι sehr auffallend*“. Ea vero offensio, si modo est offensio (Lobeckius locum Platonicum comparavit Legg. XI p. 928 E *ξυμφοϱαὶ ἔχθϱας ἔκγονοι*), multo minor erit, si *πόνοι* non ad recentem Paridis iniuriam, sed ad primos labores bellicos referentur, ad illud tempus remotissimum, quo primum arma in usum venerunt, vide quae sequuntur. Ergo non dubitamus librorum cum numeris scripturam retinere, quamvis Dindorfii coniecturam *ἰὼ πόνοι πϱόπονοι* (cl. *κακὰ πϱόκακα* Aesch. Pers. 987) ingeniosam esse facile concedamus.

2) Schol. Vet. ad 1192 *Ὤφελε πϱότεϱον: Ὤφελε πϱότεϱον ἀφανὴς γενέσθαι ἐκεῖνος ὁ ἀνὴϱ, ὁ πϱῶτος εἰσενεγκὼν εἰς Ἕλληνας πολεμιστήϱια ὅπλα, ὡς ἅμα τῇ ε ὑ ϱ έ σ ε ι ἡκόντων τῶν ἀνθϱώπων ἐπὶ τὸ ἀδικεῖν.* — Idem ad 1197 *Πϱόγονοι πόνων*] *Ἠ παλαιοί, ἢ ἀϱχηγοὶ τῶν πόνων· οἷον, ὁπότε ε ἰ σ α γ ω γ ὴ τῶν ὅπλων ἐγένετο· οὐ δεῖ δὲ ἀπειϱοκάλως ζητεῖν, τίς πϱῶτος ἐχϱήσατο ὅπλοις.* — Id. ad 1199 *Ἐκεῖνος οὔτε στεφάνων: Ἐκεῖνος ὁ ε ὑ ϱ ὼ ν τὰ ὅπλα κτλ.*

3) Wolff. ad v. 1192: *Die Krieger von Salamis verwünschen in ihrer Niedergeschlagenheit den, welcher die Griechen den Krieg gelehrt, d. h. sie verwünschen ihren ganzen Beruf.* Contra Wecklinum (Aiax, 1879) hanc sententiam defendit Fridericus Schubert in *Z. f. öst. Gymn. XXXIII (1882) p. 601.* — Non digna, quae argumentis impugnetur, Morstadtii est sententia, qui Agamemnonem devoveri cogitare existimandus est scribens: *eine Verwünschung über den, der die Hellenen vor Troja geführt hat (Beiträge zur Exegese und Kritik der Sophokleischen Tragödien Elektra, Aias und Antigone, Schaffhausen 1864, p. 47).*

in hanc unam nos sententiam ducunt et nautarum Salaminiorum animis haec multo accommodatior est quam si Paridem vel adeo Tyndareum devoveri putemus. Cur tamen recta illa explicatio, quamquam a vetere scholiasta iam proposita est, nondum ab omnibus sit probata, si quaeritur, causa mihi videtur potissimum in voce *κοινόν* v. 1196 posita esse, quae vox ut sola videtur effecisse, ut Schneidew. et Nauck. de Paride cogitarent, ita omnibus editoribus difficultates movit. Adducor autem pluribus causis neque iis levibus, ut *κοινόν* corruptum esse et *πρῶτος* scribendum existimem. Quae mutatio si forte audacior videbitur, tamen argumentis prolatis spero fore, ut multo facilior, ne dicam paene necessaria, reperiatur.

Ac primum quidem demonstrabo verba *κοινὸν Ἄρη* in hac antistropha locum non habere et ab interpretibus Sophoclearum fabularum aegre esse explicata. Nam Lobeckius quidem sincere proloquitur, *κοινὸς Ἄρης* utrum bellum Troianum denotet an quaecunque unquam a Graecis communiter gesta sint, in ambiguo relinqui; ceteri editores illa verba ad suam quisque de toto loco sententiam accommodare studuerunt. Schneidewinus enim et Nauckius Erfurdtium secuti, qui *κοινὸν Ἄρη* explicaverat „bellum quod sociatis viribus gerunt", intellegunt „*den von allen hellenischen Stämmen gemeinsam unternommenen Kriegszug* (cf. Thuk. I, 3), *welchen Paris veranlasst hat*". Quam quidem sententiam improbata illa de Paride cogitatione ne ipsam quidem constare posse apparet. Porro Wunderus ac Dindorfius de locutione *κοινὸς Ἄρης* conferri iubent Il. *Σ* 309 *ξυνὸς Ἐνυάλιος* et Eur. Phoen. 1572 *κοινὸν ἐνυάλιον*. At *ξυνὸς Ἐν.* (cf. Od. *λ* 537 *ἐπιμὶξ δέ τε μαίνεται Ἄρης*) est Mars communis (Cic.), aequus (Caes.), par (Hirt.), aequatus, anceps (Liv.), quae significatio verbis *στυγερῶν ἔδειξεν ὅπλων κοινὸν Ἄρη* non satis mihi videtur convenire. Ac ne Wolffio quidem in hac re possum assentiri recte illi quidem explicanti *Ἄρης ὅπλων* „*der Kampf mit Waffen*", perperam *κοινός* „*gegenseitig, der Krieg der Menschen untereinander*" afferentique eundem illum locum ex Euripidis Phoenissis (v. 1572) petitum „*ηὗρε τέκνα κοινὸν ἐνυάλιον μάτηρ μαρναμένους*". Quippe non dubitabis *κοιν. ἐν.* ab Euripide

eadem significatione dictum putare qua ab Homero, cum reputaveris fratres (Eteoclem et Polynicem) inter se pugnantes alterum alterius manu cecidisse, ergo pari Marte pugnasse.

Non satis igitur defendi mihi videntur verba *κοινὸν Ἄρη*. Atqui paucis versibus ante et quidem in fine versus *πολύκοινον Ἅιδαν* legitur, unde elucet *κοινὸν* facile in hunc versum 1196 irrepere potuisse. Deinde supra monui ante *κοινὸν* in uno optimo codice complures litteras erasas esse: nonne fieri potuit, ut librarii errore *Ἕλλασιν πρῶτος κοινὸν Ἄρη* scriberetur, idque ne strophae numeros excederet, iterum per errorem non *κοινὸν*, quod debebat, sed *πρῶτος* deleretur? ad metrum scilicet, utra vox abesset, nihil intererat. Postremo videtur etiam scholiasta (vd. p. 4, adn. 2) *πρῶτος* legisse, quippe qui explicet *ὁ πρῶτος εἰσενεγκὼν πολεμιστήρια ὅπλα*, contra de locutione *κοινὸν Ἄρη* satis insolenti prorsus taceat. — Iam, quaeso, contemplemur similem locum Tibulli, qui I, 10, 1 sqq. sic queritur:

Quis fuit, horrendos primus qui protulit enses?
  Quam ferus et vere ferreus ille fuit!
Tum caedes hominum generi, tum proelia nata,
  Tum brevior dirae mortis aperta viast.
An nihil ille miser meruit?

Quae cum scriberet, nonne ante oculos videtur Tibullus Sophoclis canticum habuisse? Compara modo *στυγερῶν ὅπλων* — „horrendos enses“, *κεῖνος ἔπερσεν ἀνθρώπους* — „Tum caedes hominum generi (nata)“, denique exsecrationem chori cum Tibulliana „An nihil ille miser meruit?“ Nec deest apud Tibullum vox „primus“, quae desideratur in cantico Sophocleo. Proinde scribamus versum 1196 ita:

Ἕλλασιν πρῶτος Ἄρη.

„Utinam ante in aethera abisset aut in Tartarum ille homo, qui horrendorum armorum pugnam Graios primus docuit!“ Omnia tum recte se habebunt, nec iam causa erit, cur interpretes voce non apta *κοινὸν* inducti in tantam sententiarum diversitatem discedant.[1])

---

1) Prorsus alia de causa, quod formam *δορυσσοήτων* in strophae v. 1188 defendi non posse sed *δορυσσῶν* scribendum putabat, Nauckius in versu antistrophico *κοινὸν* delendum coniecit in Fleckeis. ann. 1862 p. 156, 159.

Revertamur nunc ad primum antistrophae versum, cuius de sententia dubitari non potest: nimirum iure Donnerus vertit: *Wär' er in Luft verweht*, quod Triclinius[1]) quoque vult. Cf. Il. *Γ* 173 et *Z* 345, ubi similis sententiae conformatio. Exsecratio tamen, quam in chori verbis inesse inter omnes constat, tantum abest, ut locutione *ὄφελε αἰθέρα δῦναι* contineatur, ut, ubicunque hanc vel similem locutionem invenimus, optati potius quam detestationis loco usurpetur. Sic enim Philoctetes ab omnibus destitutus maximo opere exoptat (Soph. Phil. 1092), ut *αἰθέρος ἄνω ὀξυτόνου διὰ πνεύματος* rapiatur; sic Creusa apud Euripidem Ion. 796 sqq. *ἀν' ὑγρὸν ἀμπταίην αἰθέρα πόρσω γαίας Ἑλλανίας, ἀστέρας ἑσπέρους, οἷον οἷον ἄλγος ἔπαθον*. Neque Aiacis loco verba *ὄφελε αἰθέρα δῦναι* proprie aliud quidquam significant quam „utinam sublimis abisset“, i. e. vellem ille de terra ablatus esset, priusquam *ἔδειξεν ὅπλων Ἄρη*. At vera deinde iactatur exsecratio altera parte optati, quae tamen dubito an corrupte in libris feratur. Nam quae est, quaeso, exsecratio hominis illius abiecti et quam maxime detestabilis, si legimus *τὸν πολύκοινον Ἅιδαν*? „utinam communia Tartara ante subisset!“ Nimirum „omnes eodem cogimur, omnium versatur urna serius ocius sors exitura et nos in aeternum exsilium impositura cumbae“. Num hanc poenam esse arbitrabimur facti illius aut incepti detestabilis? Neque vero tantum si totam sententiam, sed etiam si ipsius vocis *πολύκοινον* significationem respicimus, haud multum abest, quin ferri eam posse negemus. Nam Hesychius quidem s. h. v. *πολύκοινον Ἅιδαν* interpretatur *πᾶσι κοινόν*: at id est *πάγκοινον*, ut El. 137 *ἐξ Ἀΐδα παγκοίνου λίμνας*. Quae offensio non tam tollitur quam occultatur Ellendtii explicatione vocis *πολύκοινος* „multis, quin omnibus communis“, quam Dindorfius in lexico Sophocleo simpliciter et recte „multis communis“ vertit. Itaque factum est, ut Seyffertus de adiectivo *πολύκοιτον* cogitaret, quod in Sophoclis fragmento 597 etiam scribi vult pro *πολύκοινον* — quamquam illius vocis nusquam exstat vestigium —, hoc Aiacis loco tamen defenderet Ai. 1193.

1) Schol. Tricl. ad 1192 *αἰθέρα δῦναι*] *εἰς ἀφανισμὸν καὶ οὐδὲν ἐλθεῖν κτλ.*

πολύκοινον Ἅιδαν ut „valde communem“, non „omnibus communem“ significans. At exsecrationem quae desideratur ne ita quidem efficiemus. Qua de causa, ne longus sim, ipse propono coniecturam *πολύποινον* „valde punientem“, quod adiectivum non modo sententia verum etiam sermonis consuetudine magis commendatur quam illud quod nusquam exstat *πολύκοιτος*. Etenim legitur *Δίκη πολύποινος* Parmenid. ap. Sext. Emp. Adv. logicos 7, 11, p. 393, Orph. ap. Procl. in Plat. Theol. 6, 8, p. 363, 20 et in Tim. 5, p. 310, 32. Vertere autem licet „utinam subisset Tartarum valde punientem“ sive, si cui magis placebit, „suppliciorum plenum“. Cogitat igitur chorus de iis quae apud inferos sunt suppliciis, Tityorum dico, Tantalorum, Sisyphorum, Ixionum, Danaidum. Iam vero gradatio inest in chori optato: „utinam ante magnum aethera subisset, i. e. prorsus de terra remotus esset, aut (adeo) Tartarum subisset valde punientem“, scilicet ut apud inferos — sicuti Tantali, Sisyphi, alii — ipse quoque propter impium animum ac detestabile inceptum supplicio crudelissimo afficeretur. — Nam illud quidem non vereor, ne mihi opponatur, nefarium illum hominem, si ante inventa arma, id est ante scelus commissum sublatus esset, ut scelere non obstrictum ita ne ullo quidem supplicio fuisse afficiendum: nimirum animus eius abiectus erat ac perditus etiam ante scelus, quo commisso poena sero venisset vel potius venit; neque enim Salaminii dubitant, quin poenas meritas habeat ille qui horrendorum armorum Martem Grais primus monstraverit (armorum pugnam primus Graios docuerit). Simillimam autem sententiae conformationem invenisse mihi videor apud Ovidium Her. XI, 21 sq.:

O utinam, Macareu, quae nos commisit in unum,
Venisset leto serior hora meo!

Scilicet, si antea mortua esset, horam illam quam lamentatur ac detestatur Canace non vidisset. Neque enim, ut indicativo „commisit“ docemur, commune Macareo et Canacae sepulcrum respicitur sed amorum foedus non concessum, quo frater sororque iuncti fuerunt. Cf. etiam Ov. Trist. V, 4, 31 sq.

Accuratiore mihi explicatione videntur indigere versus 1217 sqq. Ai. 1218.

γενοίμαν ἵν' ὑλᾶεν ἔπεστι πόντου
πρόβλημ' ἁλίκλυστον, ἄκραν
ὑπὸ πλάκα Σουνίου,
τὰς ἱερὰς ὅπως
προσείποιμεν Ἀθάνας.

In tam misera rerum suarum condicione, quas tum denique Aiace mortuo desperatas esse chorus priore alterius antistrophae parte ostendit, optat posteriore, ut in patriam suam redux fiat. Verborum autem constructio ita est comparata, ut *γενοίμαν* modo coniungatur cum verbis *ἵνα ὑλᾶεν πρόβλημα ἔπεστι* (i. e. utinam [ad]sim ubi silvestris obiex ponto imminet), tum, quo ea verba accuratius definiantur et quemnam locum chorus dicat magis perspicuum sit, cum verbis *ὑπὸ ἄκραν πλάκα Σουνίου*, ita ut *γενοίμαν ὑπό* valeat *ὑπέλθοιμι*: subter enim advehuntur navi.

Iam verba *ἵν' ὑλᾶεν ἔπεστι πόντου πρόβλημ' ἁλίκλυστον* nondum a quoquam interprete recte explicata esse iudico. Vulgo enim coniungitur *πόντου πρόβλημα*, quod scholiasta vetus „(*ἔνθα ὑλώδης*) *ἐξοχὴ τῆς θαλάττης* (*ἐστί*)", i. e. „quod e mari eminet" interpretatur, rectius paullo Ellendtius[1]) „quod in mare prominet". Attamen neutrum fieri potest, quia non inest in verbis *πόντου πρόβλημα*. Quod cum vidisset, aliam explicationem Wolffius proposuit „*Schutzwehr gegen*", qua significatione et *προβολὰ* (*δείματος καὶ βελέων*) v. 1212 legimus et ipsum *πρόβλημα* saepe usurpatur. At hoc loco non agitur de Sunio promunturio tamquam propugnaculo undis opposito, sed ipse locus ac regio notanda erat. — Quod si *πόντου* cum voce *πρόβλημα* posse coniungi non videtur, alia est ratio circumspicienda. Atque cum verbo *ἔπεστι* coniungere videntur voluisse Schneidewinus et Nauckius, qui hoc verbum explicant „imminet ponto, prominet": quam ego facile arriperem sententiam, si *πόντῳ*

---

1) s. v. *πρόβλημα*. Quamquam aliter Ell. explicat s. h. v., aliter s. v. *ἔπειμι*. Simile quiddam viro docto accidit alio huius cantici loco: etenim idem ille, qui s. v. *πέρθω* pronomen *κεῖνος* in v. 1198 positum de „belli auctore" intellegit, s. v. *ὁμιλέω* pronomen *ἐκεῖνος* initio strophae alterius positum de „Aiace" (!) intellegendum dicit.

pro *πόντου* traditum esset. Nam constat verbum *ἐπεῖναι* aut cum praepositione *ἐπί* sive cum dativo sive cum genetivo posita aut cum solo dativo coniungi, non item cum solo genetivo. Nec tamen mutandum esse puto cum Morstadtio[1]: restat enim tertia ratio, ut genetivum *πόντου* cum adverbio loci *ἵνα* coniunctum accipiamus („*wo im Meere*“), quod saepius fit apud Herodotum (vd. 1, 98. 213) et apud Sophoclem (vd. Phil. 1180 *ναὸς ἵν' ἡμῖν τέτακται*, Ai. 386 *οὐχ ὁρᾷς ἵν' εἶ κακοῦ*, Trach. 1145 al.). Neque vero meae explicationi collocationem verborum repugnare censeo, quae fere eadem est apud Homerum Od. *α* 425 *ὅθι οἱ θάλαμος περικαλλέος αὐλῆς ὑψηλὸς δέδμητο* nec iam cuiquam, opinor, offensioni erit, qui quidem Nauckii operam criticam comprobaverit: is enim et in strophae versu 1205 alterum *ἐρώτων* et in antistrophae versu 1218 *ὑλᾶεν* delevit, id quod mea quidem sententia praeter necessitatem factum est. — *Πρόβλημα* autem est omne quod proicitur, itaque hoc loco, quo de acta agitur, idem quod latina vox „obiex“ = quidquid obicitur. Cf. Verg. Georg. II, 480 maria alta tumescunt obicibus ruptis; ibid. IV, 422 intus se vasti Proteus tegit obice saxi; Ov. Fast. I, 563 ille aditum (sc. antri) fracti praestruxerat obice montis. — Ad *ἔπεστι* denique „superstat“ (quod ipsum quoque Sallustius et Livius absolute ponunt) ex *πόντου* facile subauditur dativus *πόντῳ*.

Sed haec de Aiace hactenus. Ad alias nunc Sophoclis fabulas emendationes nonnullas in medium proferam.

Ant. 351. Ac primum quidem quaeritur de Antigonae versu 351

λασιαύχενά θ'
ἵππον ἕξεται ἀμφίλοφον ζυγὸν οὔρειόν τ' ἀκμῆτα ταῦρον.

Haec est scriptura in codice tradita, a quo apographa in eo discrepant, quod pro *ἕξεται* exhibent *ἄξεται*, unum *ἄξετ'*. Etiam scholiasta *ἄξεται* videtur legisse idemque duplicem scripturam *ἀμφίλοφον ζυγὸν* et *ἀμφὶ λόφον* (divise scriptum) *ζυγὸν* explicat.

---

1) Rob. Ad. Morstadt *Beiträge etc.* (vd. p. 4, adn. 3) p. 47: — *„Im folgenden Verse schlage ich vor, πόντῳ zu lesen statt πόντου, damit das ἔπεστι,* imminet, *nicht so beziehungslos dasteht.“*

Iam pridem ut intellectum est et metrum laborare (cf. strophae v. 340) nec futurum tempus locum habere, sic hodie quoque editoribus v. 351 locus conclamatus videtur et cui certa medela vix possit admoveri. Quare cum neque opus sit singulas de hoc loco sententias recensere et suis quamque causis refellere, id quod satis iam ab hominibus doctis factum video, neque studia ab aliis in emendando hoc loco difficillimo posita prorsus praeterire velim, sufficiet mihi, quotquot coniecturas a viris doctis excogitatas et prolatas inveni, ex ordine temporum quantum potui dispositas in uno conspectu posuisse.

Brunckius *ὑπάξεται*.
Bothius *ἵππον ἄρ' ἄξεται*, cui assensus Ellendtius quoque (s. v. *ἄγω* extr.) futurum tempus defendi posse putat.
Doederlinus *ἵππον ἀέξεται ἀμφίλοφον ξυγῶν* (ad Oed. Col. p. 581).
G. Hermann *λασιαύχενά θ' ἵππιον ἐξέτε' ἀμφὶ λόφον ζυγοῖ*.
J. Franz *ἵππον ὀχμάζεται ἀμφὶ λόφον ζυγῷ*, qui de verbo *ὀχμάζεται* „domat" multos habet assentientes: Schneidewin. — *ἀμφιλοφῶν ζυγὸν*, Kayser. et Arnold. (Eos I, 1864, p. 72 sq.) — *ἀμφιλόφῳ ζυγῷ*, Blaydes. et Herwerden. — *ἀμφιβαλὼν ζύγὸν*, praeterea Nauck., Wecklin., Bonitz.[1]) *(Wiener Sitzungsber. XXIII, 1857, p. 342)*, qui primum inventorem coniecturae *ὀχμάζεται* a Boeckhio (Antig. 1843) in medium prolatae non Franzium sed Schoenium fuisse monet.
Aug. Boeckh *ἵππιον ἄξεται ἀμφὶ λόφον ζυγὸν* satis dubitanter.
Joh. Kvíčala *ἵππον ἀνάσσεται ἀμφὶ λόφον ζυγῶν* in *Z. f. öst. Gymn. X (1859), p. 606.*
id. postea *ἵππον ἀνάσσεται ἀμφίλοφον ζυγῷ (Wiener Sitzungsber. XXXXV, 1864, p. 490* et *Z. f. öst. Gymn. XVI, 1865, p. 654.)*
G. Dindorf *ἀέξεται*, in verbo quidem Doederlinum secutus.
M. Seyffert *ἵππον ἀνάσσεται ἀμφιλόφῳ ζυγῷ*.

---

1) Quas eodem loco Bonitzius aliorum coniecturas refutavit, Heldii, Buchholzii, Hamacheri (*ἀναγκάζει!*), afferre supersedeo.

M. Schmidt *ἵππον ἄγει ζυγὸν ἀμφὶ λόφῳ βαλών* in *Z. f. öst. Gymn. XVI, 1865, p. 4* typographi tantum errato pro *ἵππον ἄγει ζυγὸν ἀμφιβαλὼν λόφῳ* (Antig. 1880).

L. de Jan *ἵππον ἀέξεται ἀμφὶ λόφον ζυγῶν* (Eos II, 1866, p. 10), paene item ut quadraginta fere annis ante Doederlinus, vd. supra et Wexii edit. Antig. 1829 ad hunc versum.

Matthiae Hermanni emendationem (equinam ipse auctor urbane a quodam vocari audit) rursus protulit *Beitr. zur Erklärung der Antigone, Schleusingen 1871.*

G. Wolff *ἵππον ἕσας ἄγει ἀμφίλοφον ζυγόν.*

Rud. Rauchenstein *ἵππον ὑποστρέφει ἀμφιλόφῳ ζυγῷ* in Fleckeis. ann. 115 (1877) p. 452.

R. Engelmann *ἵππον ἄγει τε καὶ ἀμφὶ λόφον ζυγοῖ* in *Brl. Ztschr. f. Gymn. 1877, p. 469.*

G. Jacob *ἵππον ὁπλίζεται*, quae coniectura a Bellermanno in medium prolata est.

Lud. Bellermann *ἵππον ἐθίζεται.*

H. van Herwerden *ἵππον ὀχμάζεται ἀμφιβαλὼν ζυγὸν* (ut Blaydes.) *οὔρειόν τ'* (an *ὑβριστάν τ'?*) *ἀκμῆτα ταῦρον* „Ad poetas scenicos Graecorum" in Mnemos. N. S. vol. VI (1878).

G. Autenrieth *ἵππον ἐπάσσεται* „Emendationes Sophocleae" Bipont. 1879.

F. Emlein *ἵππον ἄγει λόφον ἀμφιβαλὼν ζυγόν* „Quaestiones Sophocleae" Baden-Baden 1880.

G. H. Müller *ἐθίζεται*, ut tribus annis ante Bellermannus, in Fleckeis. ann. 123 (1881) p. 536.

Tot iam virorum doctorum coniecturis propositis cum locum nondum sanatum esse inter omnes fere constet concedantque etiam Nauckius, Wecklinus, Dindorfius, qui incertam emendationem esse non neget, unam audeo adicere, quae et lenior mihi videatur mutatio et simplicem planamque sententiam efficere. Recte enim iam Guilielmus Dindorf et Georgius Autenrieth perspexerunt posse etiam *ἀμφίλοφον ζυγόν* subiectum enuntiati esse, cum alii omnes *περιφραδὴς ἀνήρ* subiectum statuerent: hos ego eatenus secutus, quia nec Dindorfii coniectura *ἀέξεται* sensum quem vult „equum dociliorem et sollertiorem reddit iugum cervici impositum"

efficit neque verbi ab Autenriethio positi ἐπᾴσσεται aut significatio aut usus satis probatur, genuinam scripturam esse suspicor ἵππον ἐφέζεται ἀμφίλοφον ζυγὸν aut, siquidem Attici veteres praesenti tempore ἕζομαι et composita non dixerunt[1]),

ἵππον ἐφέζετο τἀμφίλοφον ζυγὸν,

quod primum in ἐφέζεται ἀμφ. corruptum, id quod facillime fieri poterat, praepositione propter similitudinem eius quae sequitur syllabae omissa in traditam formam ἕξεται vel ἄξεται, ut aliquo tamen modo posset explicari, redactum est. Nam cum in verbo ἕζομαι et sedendi et sidendi notio inesset, ergo ἐφέζομαι et insīdēre et insĭdĕre valeret, praeteritum tempus non minus aptum erat quam praesens, commendaturque forma ἐφέζετο etiam magis proximo verbo ἐδιδάξατο v. 355, quod ipsum quoque in aoristo poeta ponere voluit. Vertendum igitur est: „equo insedit (sive insīdet) iugum ac tauro“. Unum restat, ut ἐφέζομαι cum accusativo coniungi demonstrem. Exempla autem affero Aesch. Ag. 644 τύχη δὲ σωτὴρ ναῦν θέλουσ᾽ (ναυστολοῦσ᾽ Casaubonus) ἐφέζετο; Eum. 446 τὸ σὸν ἐφεζόμην (sic Wieselerus pro ἐφεζομένη) βρέτας; Eur. Hel. 1492 Εὐρώταν ἐφεζόμεναι. Item verbum ἐφῆσθαι non minus cum accusativo iungi quam cum genetivo aut dativo, ut saepe a tragicis aliisque poetis fit, docemur Aesch. Eum. 409, Aesch. frg. 158.

Ant. 524 sq. Creontis verba ita leguntur: Ant. 524 sq.

κάτω νυν ἐλθοῦσ᾽, εἰ φιλητέον, φίλει
κείνους· ἐμοῦ δὲ ζῶντος οὐκ ἄρξει γυνή.

Quae verba cum antea offensionem nullam movissent, primus iam multos ante annos Nauckius in pronomine κείνους addubitavit (append. crit. ad v. 525: *Statt des beziehungslosen κείνους ist wohl νεκρούς zu bessern*, ed. VIII, 1880, paullo iam fidentius quam in ed. VI, 1869), tum is qui novissimus hanc fabulam edidit, Mauricius Schmidt, notans ille quidem crucis signo pronomen κείνους nec tamen in tractatione critica quam ipsi fabulae praemisit de ea re quid sentiat

1) praes. indic. ἐφέζεται est ap. schol. Hom. Il. Φ 506.

aperiens. Neque ego *κείνους* recte se habere iudico, non quod quo referatur difficile sit perspicere, sed quia de pari Antigonae erga fratres amore, de quo potissimum agitur inter Creontem atque Antigonam, verba *φίλει κείνους* pro *φίλει ἄμφω* non satis apta mihi videntur, praesertim cum his ipsis verbis Creon altercandi cum Antigona finem faciat. Genuinam poetae scripturam ex scholiastae veteris explicatione elici posse puto, qui habet ad Ant. 523 *Οὔ τοι συνέχθειν ἀλλὰ συμφιλεῖν: Τὰς φιλίας, φησὶ, κοινὰς ποιοῦμαι, ἀλλ' οὐ τὰς ἔχθρας.* Itaque pro *κείνους* conicio *κοινοῦσ'* „communem reddens utrique tuum amorem", in eo autem qui antecedit versu, ut obiectum ad *φίλει* habeamus, quod tamen etiam subaudiri posse putaverim, *νιν* pro *νυν* (La *νῦν*), quae non minus lenis est mutatio:

κάτω νιν ἐλθοῦσ', εἰ φιλητέον, φίλει
κοινοῦσ'· ἐμοῦ δὲ ζῶντος οὐκ ἄρξει γυνή.

Neque vero offendendum erit in participiis *ἐλθοῦσα* et *κοινοῦσα* inter se non coniunctis, quippe quae prorsus diversa ratione ex verbo *φίλει* pendeant, cf. 531 sq. *ὡς ἔχιδν' ὑφειμένη λήθουσά μ' ἐξέπινες.* Eiusdem verbi media forma absolute posita est a Sophocle paullo infra v. 539 *οὔτ' ἠθέλησας οὔτ' ἐγὼ 'κοινωσάμην*: forma activa saepius apud Aeschylum occurrit. Ad *νὶν* autem pronomen pro *αὐτώ* (*αὐτά*) vel *αὐτούς* positum cf. 577 *ἀλλά νιν κομίζετ' εἴσω, δμῶες* (Antigona et Ismena iubentur a Creonte in aedes abduci), O. R. 868, 1331, O. C. 43, 1123 *σὺ γάρ νιν ἐξέσωσας* (Antigonam et Ismenam), al.

Ant. 754. Ant. 754 tradita est scriptura

κλαίων φρενώσεις, ὢν φρενῶν αὐτὸς κενός

neque ab ullo adhuc in suspicionem vocata, nisi quod Dindorfius ut ubique apud poetas tragicos *κλάων* simplici vocali scribit, Erfurdtius fortasse *αὐτὸς ὢν φρενῶν κενός* legendum monet, quam verborum collocationem arridere nobis facile concedimus. Nolo longus esse in explicanda tota illa de versibus 750—757 varie transpositis quaestione, quippe quae parum valeat ad id quod mihi propositum est: illud tamen moneo ordinis versuum in codice traditi nuperrime

Franciscum Kern, ut mihi quidem videtur, elegantem patronum argutumque exstitisse (in Fleckeis. ann. 1882 p. 351—6), quamquam difficultates in verbo κωτίλλειν positae ne ab illo quidem prorsus remotae sunt[1]). Quod si Nauckii sententia, qui praeeunte Roberto Enger (Philol. XXV p. 344 sqq.) versus 756, 757 post v. 749 legendos censet, certis fundamentis caret, multo magis Wecklini et Bellermanni opinio impugnanda est, qui cum Donnerum secuti versum 755 et versum 757 locum mutare volunt manifestam illam rationem quae inter v. 754 et v. 755 intercedit tollunt. Nam adeo non ordinem versuum 754, 755 traditum mutari posse iudico, ut contra filii responsum ad ea quae pater ante dixerit hoc ipso versu 755 contineri putem. Qua enim pater filium affecit, eandem stultitiae exprobrationem eadem voce usus (φρεννῶν κενός — εἶπον ἄν σ' οὐκ εὖ φρονεῖν) patri filius reddit. Eadem vero de causa, ratione habita eorum quae Haemon respondet, interrogatio potius quam enuntiatum affirmativum videtur mihi requiri, qualem facile assequimur paucis litteris mutatis

ποῖον φρενώσεις, ὢν φρενῶν αὐτὸς κενός;

Quamquam minime offendo in verbo φρενώσεις sine obiecto posito, quippe quod facillime subaudiatur: sed optima e coniectura mea evadit sententiarum progressio. Creon enim verbis filii, qui cum Antigona alium quendam periturum proloquitur (v. 751), falso sensu acceptis, cum ipsius, non Haemonis necem praedici arbitretur[2]), filium interrogat, num etiam minitari audeat (v. 752). Tum Haemon: non minitor, inquit, sed pravam qua teneris opinionem impugno (v. 753). Iam vero Creon: Qualem tu hominem monebis (meliora docebis), qui ipse sana mente careas? (v. 754). At Haemon: Te ipsum, nisi pater meus esses, prudentia uti negarem, te vellem monitum (v. 755). Aut,

1) Minime tamen assentientem me habet Clemens Otto, qui in dissertatione quae inscribitur „quaestiones Sophocleae criticae" (Monaster. 1868) p. 40 nullis causis Engeri sententia reiecta ipse v. 756 μή κάτιλλέ με legi vult.

2) Non recte Dindorfius: „Periturum Creontem esse praesagit Haemon, qui deorum leges non impune violari credit." Verum iam scholiasta vetus vidit.

ut eam, quam inter φρενώσεις — φρενῶν — φρονεῖν intercedere iudico, rationem teneamus, sic fortasse verti potest, si licet nobis „Mentore“ vocabulo uti: Cr. Cuius tu Mentor exsistes, qui ipse mente sana careas? Haem. Te, nisi pater meus esses, Mentore tali indigere dicerem. Itaque filius patri non modo exprobrationem amentiae reddit, id quod, si nihil aliud in verbis inesset, nescio an ferri non posset, sed etiam respondet ad id quod pater ex eo quaesivit. Sic igitur etiam maior quaedam vis in pronomine σὲ v. 755 inest, quae causa fuit, cur Hermannus non ἄν σ' sed ἆν σ' scriberet. Postremo loco monendum mihi est saepius tres vel plures interrogationes in sermonibus alternis singulis versibus contineri, cf. Ant. 315 sqq., 734 sqq., al.

Ant. 888. Ant. 887 sq.

ἄφετε μόνην ἔρημον, εἴτε χρὴ θανεῖν
εἴτ' ἐν τοιαύτῃ ζῶσα τυμβεύειν στέγῃ

vera lectio nondum videtur inventa esse. Recte enim ἄφετε quidem ex uno apographo restitutum est pro ἀφεῖτε, quod habent alia cum codice: sed in iis quae sequuntur nullo modo verbum impersonale χρή cum nominativo participii ζῶσα (τυμβεύειν) congruit. Qua de causa pro librorum scriptura scholiastae auctoritatem secutus Hermannus εἰ χρήζει, speciose vero Dindorfius εἴτε χρῇ correxit omnesque habet assentientes praeter Nauckium, qui εἴτε λῇ scriptum fuisse nulla probabilitate suspicatur *(Mélanges Gréco-Rom. IV, p. 211 sq.)*. Nec tamen iure Dindorfium mutasse puto, quia non liberum Antigonae arbitrium datur, utrum moriatur an sepulta vivat, sed Creon, homo infirmi animi, ubi saevitiam suam ab omnibus improbari cognovit, haesitare incipit et Antigonam, si non morte multetur, at certe (μετοικίας δ' οὖν) convictu hominum privari iubet. Aperte enim errat Triclinius ad v. 890. Iam vero si scripturam τυμβεύειν retinemus, hoc verbum aut transitive accipiendum est cum Hermanno, qui sensus verbi quidem usu defenditur, non item sententiarum conexu, — quem tandem sepulturam esse Antigonam putemus? — aut intransitive „sepulta vivere“ cum Dindorfio aliisque multis, quod verbo τυμβεύειν significari nullo exemplo demonstrari potest. Itaque Morstadtius

(Beiträge zur Exegese und Kritik der Sophokleischen Tragödien Elektra, Aias und Antigone, Schaffhausen 1864) νυμφεύειν coniecit (iam Reiskius νυμφεύσει voluerat) probaveruntque Nauckius et Wecklinus: at nusquam adhuc de Haemone cum Antigona in specum illum saxeum concludendo dictum est. Vocem νυμφεῖον autem (v. 891), quo maxime Morstadtius nititur, Antigona ironice dicit, alium nimirum nupturam se exspectavisse thalamum indicans. Itaque cum nullus virorum doctorum de hoc loco consensus fiat, coniecturae ego locum dari ratus propono

ἄφετε μόνην ἔρημον, εἴτε χρὴ θανεῖν
εἴτ' οὖν τοιαύτῃ ζῶσαν ὑμνεῖν ἐν στέγῃ

servata Laurentiani scriptura χρὴ et recepta forma ζῶσαν, quam duo apographa exhibent multisque in libris inveniri Triclinius dicit. Respicit igitur Creon Antigonae ἀοιδὰς καὶ γόους (v. 883), quas sub terra illam continuare iubet. Facile autem corrumpi ea verba potuisse perspicimus, si primum librarii errore pro ὑμνεῖν ἐν scriptum esse ὑμνεύειν fingimus, quod verbum omnino non exstat eaque de causa postea in τυμβεύειν mutatum est ita, ut simul metro cogente nominativus ζῶσα pro ζῶσαν poneretur: praepositione ἐν alio loco inserenda particula οὖν suo loco demota est. — Coniunctionibus εἴτε-εἴτε, id quod reliquum est ut demonstrem, saepe sive alterutri sive utrique οὖν particulam addi multis et Aeschyli et Sophoclis locis constat: satis mihi est attulisse Phil. 345, Oed. R. 1049, Aesch. Choeph. 683.

Oedipodis regis versus 122sq. ita ut traditi sunt leguntur: **Oed. R. 122 sq.**

λῃστὰς ἔφασκε συντυχόντας οὐ μιᾷ
ῥώμῃ κτανεῖν νιν, ἀλλὰ σὺν πλήθει χερῶν.

Offendo quam maxime in tali sententia: „latrones interfecerunt eum non unius robore, sed multorum manibus“. Medelam satis lenem huic loco adhibens velim scribatur

λῃσταῖς ἔφασκε συντυχόντας οὐ μιᾷ
ῥώμῃ κτανεῖν τιν', ἀλλὰ σὺν πλήθει χερῶν.

i. e. „cum latronibus congressos (quem accusativum obiecti esse neminem poterat fugere) interfecisse aliquem non ipsius tantum viribus, sed ab aliis multis adiutum“.

Iam vero exponam, quid mihi videar hac emendatione assecutus esse. Primum enim, quia nunc unus aliquis est ὁ κτανών (v. 139)., optime convenit illud οὐ μιᾷ ῥώμῃ, quod si de pluribus latronibus dicitur, non modo supervacaneum sed prorsus est ineptum; cf. etiam schol. ant. ad 122 Οὐ μιᾷ ῥώμῃ] Ἀντὶ τοῦ, οὐχ ἕνα μόνον, ἀλλὰ καὶ πολλούς, quae verba ipsa quoque ad pronomen τινὰ videntur spectare. Deinde liberamus sententiam pronomine νὶν, ad quod intellegendum usque ad v. 115 redeundum est, quamvis multae ac variae sententiae interpositae sint. Tum ex nostra coniectura duos illos versus melius atque aptius et cum iis qui antecedunt et cum iis qui sequuntur cohaerere videbis. Ante enim cum dictum sit praeter unum omnes regis comites cum ipso occisum esse (v. 118), etiam in v. 122 voce συντυχόντας aperte caedes complurium respicitur; postea vero Oedipus de latrone (uno, ὁ λῃστής v. 124) loqui non posset, si Creon diserte caedem a latronibus multis factam esse dixisset, vel nisi Creon unum primarium caedis auctorem significasset (τινὰ v. 123), quem tum Oedipus pecunia ad caedem faciendam conductum esse suspicatur. Multi enim sunt interpretes in defendendo numero singulari v. 124, qui facillime ea ratione qua docui explicatur. Postremo haud scio an etiam praepositio σὺν rectius se habeat, si unus homo subiectum sit, quam si plures: nam id mihi persuadere non potui, ut huius praepositionis usum a dativo instrumentali aliquando non differre crederem.

Nec sententia tantum verum etiam codicis La memoria coniecturam meam commendari puto. Exstat enim in codice initio versus 123 ῥώιμηι scriptum pro ῥώμηι: nonne videbitur librarius, cum λῃστὰς pro λῃσταῖς se scripsisse sensisset, per errorem litteram ι quae deerat falso, i. e. paullo inferiore loco inseruisse isque error postea corrupti pronominis νιν pro τιν' fuisse causa?

Trach. 137. Pergo ad Trachiniarum fabulam. In versu 137

ἃ καὶ σὲ τὰν ἄνασσαν ἐλπίσιν λέγω
τάδ' αἰὲν ἴσχειν· ἐπεὶ τίς ὧδε
τέκνοισι Ζῆν' ἄβουλον εἶδεν;

offensioni est locutio ἐλπίσιν ἴσχειν, cum scriptores attici ἐν ἐλπίδι vel ἐν ἐλπίσιν ἔχειν ponere soleant (cf. Eur. frg. Inus 412 Dind.: ἐν ἐλπίσιν χρὴ τοὺς σοφοὺς ἔχειν βίον). Neque enim cum Ellendtio (s. v. ἐλπίς extr.) infinitivum ἴσχειν de nomine ἐλπίσιν pendere[1]) statuemus, quod quo ille modo defendat nescio. Comparavit autem Neuius Oed. Col. 1678 πόθῳ λάβοις, quod Dindorfius afferre non debebat, quia ipse, ut nunc vulgo scribitur, Canteri emendationem ὡς μάλιστ' ἂν ἐν (pro εἰ) πόθῳ λάβοις recepit, et locum unum Thucydidium II, 8 extr. οὕτως ὀργῇ εἶχον οἱ πλείους τοὺς Ἀθηναίους, ubi ὀργῇ ἔχειν locutio pro ἐν ὀργῇ ἔχειν non minus insolens est ac dubia quam quae hic tradita sunt Sophoclis verba. Ea si ferri posse non videbuntur, postquam abhinc aliquot annos audacius ἃ καὶ σὲ τὰν ἄνακτ' ἐν ἐλπίσιν λέγω τάδ' αἰὲν ἴσχειν[2]) conieci, nunc mihi alia emendandi huius loci ratio probabilior videtur

ἃ καὶ σὲ τάνδ', ἄνασσ', ἐν ἐλπίσιν λέγω
τάδ' αἰὲν ἴσχειν,

nude posito in allocutione vocativo ἄνασσα, ut mox v. 291, ubi chorus reginae de Herculis victoria ac reditu sperato gratulatur. Praeterea monendum est solo hoc casu Sophoclem usum esse: El. 666 ὦ χαῖρ', ἄνασσα nuntius Clytaemnestram appellat, Ai. 774 Minervam Aiax. Atque apud Aeschylum eodem nomine Minerva appellatur Sept. 164, Eum. 235, 443, 892 (288 unum accusativi exemplum), Atossa Persarum regina Pers. 155 et 173. — Alias coniecturas Blaydesius (ed. Trachin., 1872), ut illam offensionem tolleret, octo vel novem ad v. 137 exprompsit.

---

1) Item Dindorfius in lexico Sophocleo s. v. ἐλπίς extr.: „ἐλπὶς cum infinitivo aoristi vel futuri OR. 836, Ant. 235, 899, 1248, El. 952, praesentis Tr. 137“. Error in his videtur inesse. An ad eam quae antecedit sententiam referendum ἐλπίσιν ἴσχειν putemus ac voluisse illos supplere μένειν — ἐπέρχεσθαι?

2) Aeschylum certe vocem ἄναξ etiam θηλυκῶς usurpavisse Suidas auctor est, quod Orio Etym. p. 26, 4 confirmat versu Aeschyleo allato: δέσποινα νύμφη δυσχίμων ὀρῶν ἄναξ (frg. 379 Dind.). Eam autem vim femininam nomen ἄναξ facilius etiam hoc loco habere poterat propter articulum τὰν appositum, quamquam eundem articulum putabam mox effecisse, ut ἄνακτα in ἄνασσαν mutaretur et praepositio ἐν metri restituendi causa subtraheretur.

Trach. 138. Neque tamen omnia iam in illis quae laudavi chori verbis recte se habent. Verissime enim Albertus Zippmann (Schedae criticae in Sophoclis Trachinias, Düsseldorf 1868) corruptelam in scriptura tradita inesse mihi videtur ostendisse, quamquam non habet, quomodo sanet.

Nam logicam desiderat in his enuntiatis: *Das eben Ausgesprochene musst du in deinen Erwartungen stets festhalten; denn wer sah jemals Zeus gegen seine* K i n d e r *so schlecht berathen?* maxime cum per totam alteram antistropham et epodum de liberis Iovis nullus sermo fuerit, nisi quis forte *τὰν ἄνασσαν* ut nurum Iovis ita significari credat (l. l. p. 7). Ipsa ratio, inquit ille, docet inter has duas sententias: „nihil humani constat“ (vv. 132—136) et „quis enim unquam tam male consulentem liberis suis Iovem vidit?“ hoc loco, ubi Deianira aliquid sperare iubetur, nihil aliud dici potuisse nisi hoc: „proinde spera hanc quoque (scil. Herculis) calamitatem non perpetuo mansuram esse“.

Ad hanc sententiarum difficultatem aliae accedunt difficultates in ipsis verbis positae. Neque enim pronomen *τάδε* sufficere puto ad indicandam Herculis miseriam, quod fortasse fieri posse Zippmannus dicit, nec pronomina *ἃ* et *τάδε* coniungi possunt, ita ut perpetuam malorum et bonorum vicissitudinem (vv. 132—136) significent: cuius usus quae exempla allata sunt, nuper Otto Hense in eo libro qui inscribitur „*Studien zu Sophokles*“ (1880) p. 16 iustis causis refutavit. Quamquam minime mihi probatur quod Hensius hoc loco coniecit *ἐλπίσιν λέγω κεδναῖσιν ἴσχειν*, probante ut videtur Wecklino (in *Bursians Jahresber. 1881*, tom. XXVI p. 29): illud enim adiectivum, quod apud Sophoclem nisi uno Aiacis loco non legitur, num recte cum substantivo *ἐλπίδες* coniungatur, vehementer dubito.

Nullam vero probabilitatem Blaydesii coniectura (p. 280) habet *τὸν αἰῶν' ἴσχειν*.

Quodsi pronomina *ἃ* et *τάδε* iungi posse demonstratum non est, fortasse ne *αἰέν* quidem adverbium locum habet. Nam, si verum iudicium Dindorfius fecit, epica forma *αἰέν* tragici nusquam nisi postulante metro usi sunt: at metrum hoc loco non postulat *αἰέν*. Cur enim poeta noluit scribere *ἀεὶ τάδ' ἴσχειν?* — Itaque primum Herculis miseriam aperte

indicandam fuisse[1]), deinde in verbis *τάδ' αἰέν* difficultates quasdam inesse ratus coniecturam propono

ἃ καὶ σὲ τάνδ', ἄνασσ', ἐν ἐλπίσιν λέγω
τἀκεῖθεν ἴσχειν

(vel, si cui minus probetur producta syllaba prima, *τὰ κεῖθεν*) „quapropter etiam te in spe habere iubeo Herculis res, etiam tu noli desistere sperare de Herculis rebus“ cl. v. 632, ubi eadem res eadem voce significatur: *πρὶν εἰδέναι τἀκεῖθεν εἰ ποθούμεθα*, i. e. ab Hercule. Etenim in La scriptum est *τὰ κεῖθεν*, Schneidewinus autem et Bergkius duce scholiasta sine iusta causa *κἀκεῖθεν* scripserunt. Sic ego et sententiam quam Zippmannus desiderat facillime exprimi neque ita multum a tradita scriptura nos recedere puto. Post communem igitur sententiam: „perpetua est malorum et bonorum vicissitudo“ ipsius Deianirae condicio respicitur: *καὶ σὲ — τἀκεῖθεν* i. e. „etiam te tuas de Hercule curas iubeo dimittere; nam facile fieri potest, ut, si malo oppressus Hercules sit, mox tamen incolumis revertatur“. Iam per se intellegitur pronomen *ἅ* cum Hermanno, Ellendtio, aliis interpretandum esse „quapropter“, pro *δι' ἅ* positum, velut Oed. Col. 1291.

Eiusdem fabulae versus 562 sqq. ita traditi sunt: Trach. 564.

ὅς κἀμέ, τὸν πατρῷον ἡνίκα στόλον
ξὺν Ἡρακλεῖ τὸ πρῶτον εὖνις ἑσπόμην,
φέρων ἐπ' ὤμοις, ἡνίκ' ἦν μέσῳ πόρῳ,
ψαύει ματαίαις χερσίν.

Hoc loco Dindorfius cum neque *ἦν* pro tertia persona haberi posse censeret, quia de se potius quam de Nesso loqui Deianira deberet, qua in re a viro docto dissentio, nec pro prima persona posse accipi vere iudicaret (ad Soph. frg. 399: *ἦ* tragici ceterique scriptores Attici veteres constanter dixerunt), *ἦ* scripsit pro *ἦν* assentientemque habet Nauckium, quae lectio non minus probabilis est quam quod Cobeto placuit (Nov. Lect. p. 188) *ἦ'ν*. Nam praepositionem *ἐν*

---

1) cf. schol. ant. ad 140: — — *διὸ μηδὲν φαῦλον περὶ Ἡρακλέους ἔλπιζε· οὐ γὰρ παρορᾷ τοῦ ἑαυτοῦ παιδὸς* (*τοὺς ἑαυτοῦ παῖδας* em. Brunckius) *ὁ Ζεύς.*

necessariam esse ne ego quidem iudico exemplis allatis a Dindorfio et Nauckio ad El. 174. Addubito tamen in scriptura tradita propter coniunctionem *ἡνίκα* brevi spatio interiecto bis repetitam suspicorque alteram *ἡνίκα* in v. 564 ex v. 562 irrepsisse. Qua de causa scribendum puto

ὃς κἀμέ, τὸν πατρῷον ἡνίκα στόλον
ξὺν Ἡρακλεῖ τὸ πρῶτον εὖνις ἑσπόμην,
φέρων ἐπ' ὤμοις — ἦ μ ε ν ἐν μέσῳ πόρῳ —
ψαύει ματαίαις χερσίν.

Neque enim de Nesso neque de se potissimum Deianira loqui debebat sed de ambobus: pluralis igitur numeri prima persona exspectanda erat. Per parenthesin autem illa verba accipienda sunt, cuius rei permulta apponere poteram exempla, nisi notissimus hic usus esset.

Trach. 984. In transitu attingo Trach. 984:

ὦ Ζεῦ,
ποῖ γᾶς ἥκω; παρὰ τοῖσι βροτῶν
κεῖμαι πεπονημένος ἀλλήκτοις (*ἀρρήτοις* Subkoff)
ὀδύναις;

ubi ego quidem persuadere mihi non possum, ut forma *τοῖσι* vel *τέοισι*, ut Kruegerus vult, Sophoclem usum esse credam. Ab editoribus forma insolens *τοῖσι* defenditur ut contracta ex ionica *τέοισι* pro *τίσι*, eamque metri causa poetam usurpavisse Dindorfius adnotat. Potestne fieri, ut Sophocles scripsisse existimetur

π ὰ ρ τ ί σ ι θ ν α τ ῶ ν?

pro *παρὰ*, ne proceleusmaticus prodeat, per apocopen forma *πὰρ* posita, quam supra v. 636 *Μηλίδα πὰρ λίμναν* a Triclinio restitutam fere omnes editores receperunt, non item Aesch. Eum. 229 Medicei scripturam *μέγας γὰρ ἔμπας πὰρ Διὸς θρόνοις λέγει*, ubi Porsonus *παρὰ Διὸς* correxit. — Extrema autem voce *θνατῶν* in *βροτῶν* mutata (cf. Phil. 177 sq. *ὦ παλάμαι θεῶν* [e Lachmanni coniectura pro *θνητῶν*], *ὦ δύστανα γένη βροτῶν*, ubi similiter propter *βροτῶν* quod versu insequenti legitur vera scriptura *θεῶν* in *θνητῶν* corrupta est) postea, ut metrum exaequaretur, factum est, ut *τοῖσι* scriberent.

In Trach. v. 1202 Trach. 1202.

γόου δὲ μηδὲν εἰσίτω δάκρυ,
ἀλλ' ἀστένακτος κἀδάκρυτος, εἴπερ εἶ
τοῦδ' ἀνδρός, ἔρξον· εἰ δὲ μή, μενῶ σ' ἐγὼ
καὶ νέρθεν ὢν ἀραῖος εἰσαεὶ βαρύς

constat verba *καὶ νέρθεν ὢν* „*auch dort im Hades*“, ab Hermanno inter commata posita, coniungenda esse, adiectivum *ἀραῖος* autem praedicative positum esse ad *μενῶ*, non ad *νέρθεν ὢν*. Activam igitur hoc loco vim habet *ἀραῖος* „qui diras imprecatur“, ut iam scholiasta vetus explicat *ἐπάρατος, τιμωρὸς δαίμων*. Iam vero quaeritur, quomodo duo adiectiva *ἀραῖος* et *βαρύς* et cum verbo *μενῶ* et inter se iuncta sint. Ac Wunderus quidem, scholiastae explicationem secutus *εἰ δὲ μὴ ταῦτα ποιήσεις, διατελέσω ταῖς κατάραις καὶ καθ' Ἅιδου* [sic ap. Elmsl.] *βαρῶν σε*, ipse verba tradita explicat *μενεῖ σε ἡ ἐμὴ βαρεῖα ἀρά*, eandemque rationem sequitur Donnerus vertens: *sonst harr' ich dein, auch dort im Hades, immerdar mit schwerem Fluch.* Quae ratio num vera sit, equidem vehementer dubito: substantive enim *ἀραῖος* accipi, addito in sensum attributivum adiectivo *βαρύς*, certe non potest. Sin autem pari modo unum atque alterum adiectivum ad *μενῶ* pertinet, copula inter utrumque ponenda erat. Haec mihi videtur Campius perspexisse, qui in Philologo XXII (1865), p. 42 accusativum *ἀραῖον* praeferendum putaverit. Quae sententia quamquam non prorsus falsa est nec digna, quam viri docti silentio praetereant, tamen probabilius puto legendum esse

ἀραῖος ἔς τ' ἀεὶ βαρύς,

i. e. „manebo vel exspectabo te devovens (vindex) et in omne tempus infensus“.

Philoctetae versus 205 sqq. sic fere leguntur: Phil. 205.

βάλλει βάλλει μ' ἐτύμα
φθογγά του στίβον κατ' ἀνάγκαν
ἕρποντος.

La habet *ἑτοίμα* et quod sequitur vocabulum *φθογγά* praecedenti versui addit; apographa alia *ἑτοίμα* suppeditant, alia

ἐτύμα, quod Brunckius recepit. Tum La στίβου, apographa quaedam στίβον.

Iam, ut de verborum structura pauca praemittamus, Wunderus iungit φθογγά του στίβου ἕρποντος, Hermannus, Seyffertus, Wecklinus φθογγά του ἕρποντος κατ' ἀνάγκαν στίβου (verus ad me accidit sonitus cuiuspiam gravi laboriosoque incessu ingredientis), Ellendtius scholiastam secutus („ἔξωθεν προσληπτέον τὴν ἐπί") intellegit φθογγά του ἕρποντος (ἐπὶ) στίβου κατ' ἀνάγκαν (viam ingredientis cum labore): nos facimus cum Buttmanno, Bergkio, Nauckio, aliis, qui cum libris quibusdam στίβον scribunt comparantque Ai. 30 πηδᾶν πεδία (cf. Dind. ad h. l.) et alia id genus.

Post Buttmannum, qui ἐτύμα in ἔτυμα mutare voluit eo argumento, quod non usitata esset forma huius nominis feminina[1]), offendit in eadem voce Nauckius, qui, ut dicit „duce Laurentiano codice", βάλλει βάλλει μέ τοι in textu posuit mutavitque idcirco in antistropha v. 214 Laurentiani scripturam ὡς ποιμὴν ἀγροβάτας vel potius vulgatam apographorum ἀγροβότας in ὡς π. ἀγρότας.

Ac vulgatam ne ego quidem scripturam ferendam esse censeo. Quamquam alias quoque huiusmodi inusitatas formas a tragicis, ubi aptae visae sint, usurpari vere Hermannus monet. At cum reputamus neque libros nostros consentire et re vera adverbium potius ἐτύμως quam adiectivum exspectari, lenem medelam loco admovere non dubitabimus. Talis autem mihi videtur non esse Nauckii medela, qui cum in stropha syllabam unam a libris constanter traditam deleat tum in antistropha, ut metrum exaequet, pro ἀγροβότης, quod vocabulum prorsus recte se habet („qui in agris pascit", cf. Eur. Cycl. 54) ἀγρότης ponat, quod apud Homerum rusticum virum significat, apud Sophoclem omnino non occurrit. Itaque, ne longus sim, reiecta Nauckii mutatione ego propono:

βάλλει βάλλει με θαμὰ φθογγά κτλ.

---

1) Eadem de causa Seyffertus scripsit βάλλει μ' ἔτυμ' ἁ φθογγά του, in quo neutrum ἔτυμα more Homerico positum, articulum autem ad confirmandam rei veritatem aptissimum esse dicit. Ceterum ἐτύμας legitur in inscr. lacunosa Hermionae reperta, ap. Boeckh. vol. I, p. 599, n. 1212, 5.

i. e. „identidem ad aures meas accidit sonitus cuiuspiam aegre incedentis". Quae emendatio non vereor ne violentior videatur. Sententia autem quae inde evadit quam apta sit ad hunc locum, cognoscitur facile e Schneidewini adnotationibus ad v. 204 sq. et v. 207, ubi vis adverbii *θαμά* ultro in Sophoclis verba infertur, quamquam crepitus pedum ac voces miserabiles identidem a choro exaudiri concedo ipso quoque verbo *βάλλει* repetito significari.

Eiusdem fabulae versus 706 sqq. ita sunt traditi: **Phil. 707sq.**

οὐ φορβὰν ἱερᾶς γᾶς σπόρον, οὐκ ἄλλων
αἴρων τῶν νεμόμεσθ' ἀνέρες ἀλφησταί.

Tristis Philoctetae condicio describitur, qui omni vitae cultu privatus vix habeat, unde vitam toleret. In explicandis his verbis interpretes in diversas sententias discedunt. Wunderus enim, qui Dindorfium assentientem habet, iudicat genetivum *ἄλλων* pendere ab *αἴρων*, quod verbum non minus recte quam *λαμβάνειν*, *πίνειν* et sim. cum accusativo simul et cum genetivo iungatur, cum et aliquid et de aliqua re sumere significet; sensum autem esse: „non nutrimentum capiens terrae fruges, nec de aliis rebus, quibus vescimur." Quod vix fieri posse vere iudicantes Hermannus ac Nauckius ad *ἄλλων* supplendum esse *φορβάν* putant vertuntque: „non pabulum terrae fruges, non aliarum rerum, quibus vescimur homines, habens (tollens)". Ei vero interpretationi id obstat, quod, cum genetivum *ἱερᾶς γᾶς* cum accusativo obiecti *σπόρον* cuniungi opus sit, ne alter quidem genetivus *ἄλλων* ab accusativo praedicati *φορβάν* pendere potest[1]); vereor enim, ut Hermanni ratio admitti possit, qui, cum *οὐ φορβὰν γᾶς σπόρον αἴρων* nihil aliud sit quam *οὐ φορβὰν γᾶς αἴρων*, additum esse scribit etiam *οὐκ ἄλλων*, scilicet *φορβάν*. Nec magis licet coniungere, quod unus, quantum scio, Jankius[2]) voluit, *σπόρον ἄλλων*, aut cum varia qua-

1) Vere de hac re iudicavit Bissingerus, *Blätter für das bayerische Gymnasialschulwesen VII (1871), p. 263.* Sed illa verba construi posse, ut Buttmannus voluit, per attractionem quae dicitur inversam nobis non probavit.

2) J. Janke „de stasimo Phil. primo commentatio", Pyritz. 1865: „*σπόρον* ad *ἄλλων* referendum: ova, lac, fetus arborum intellegendi.

dam scriptura codicis Flor., qui vocis *ἄλλων* ultimae syllabae *ο* superscriptum habet, *ἄλλον* scribere: quae lectio propter mensuram vocis respuenda est. Itaque mihi opus esse leni mutatione videtur

οὐ φορβὰν ἱερᾶς γᾶς σπόρον, οὐκ ἄλλαν
αἴρων τὰν νεμόμεσθ' ἀνέρες ἀλφησταί.

Nam ubi *ἄλλαν* pro *ἄλλων* scripserimus, etiam *τὰν* pro *τῶν* scribendum erit, quoniam verbum *νέμεσθαι* cum accusativo coniungitur neque in librorum scriptura nisi per pronominis relativi quae dicitur assimilationem genetivum habet. Quam facile accusativus *ἄλλαν* in genetivum *ἄλλων* corrumpi potuerit, patet ex antecedenti genetivo *ἱερᾶς γᾶς*, praesertim si opinamur librarium fortasse de genetivi forma dorica *ἀλλᾶν* cogitasse, cuius genus femininum ei offensionem eamque iustam moverit.

Phil. 1103. Postremo ex fabula Philoctetae affero versus 1102 sq.

ὦ τλάμων τλάμων ἄρ' ἐγὼ
καὶ μόχθῳ λωβατός,

ubi *κἀν μόχθῳ* scribendum puto. Huius enim ipsius loci causa Ellendtius videtur vertisse *λωβητός* „affectus malo et contumelia", quod adiectivum tamen nihil aliud significat nisi „iniuria sive contumelia affectus" (Ai. 1388, Trach. 1069) aut „contumeliosus" (Phil. 607). Quamquam scholiasta iam interpretatur *ἐπίπονος*. Mea autem coniectura vide, quam apta fiant Philoctetae verba ad contextum orationis. „O me miserum" inquit „et in ipsis his aerumnis (i. e. quamvis me premant miseriae) contumelia affectum": etenim chorus proxime (1095 sqq.) Philoctetam ipsum auctorem esse suae miseriae obiecit.

Oed. Col. 517. Restant complures loci, de quibus disputem, ex Oedipode Coloneo deprompti. Quorum primus est in versu 517. Oedipus choro flagitanti, quae fuerit insanabilis miseriae causa, frustra repugnat; chorus enim perseverat:

Itaque converte: non habens pro cibo fetus vel fruges sanctae terrae, nec (pro cibo habens) fetus aliarum rerum quibus vescimur homines".

τό τοι πολὺ καὶ μηδαμὰ λῆγον
χρήζω, ξεῖν', ὀρθὸν ἄκουσμ' ἀκοῦσαι.

Hoc mihi loco persuasi, ut λῆθον pro λῆγον scribendum esse arbitrarer. Quamquam ea ipsa verba apud Suidam leguntur: quod tamen non prohibuit, quominus μηδαμᾶ in μηδαμὰ et ξέν' in ξεῖν' mutaretur. Videtur enim τό τοι πολὺ καὶ μηδαμὰ λῆγον meo iudicio minus apte coniunctum. Quod etsi magis in uniuscuiusque sensibus positum esse quam demonstrari posse ac persuaderi me non fugit, tamen una et altera mihi est causa, ex qua certius quoddam argumentum sumam ad sententiam meam defendendam. Nam si λῆγον vera esset scriptura, pro μηδαμά potius μήπω vel μηδέπω exspectaremus, μηδαμά contra multo aptius cum verbo λῆθον coniungitur. In illam autem ipsam sententiam viri docti adverbium μηδαμά accipere videntur, siquidem Nauckius comparat Oed. R. v. 731 ηὐδᾶτο γὰρ ταῦτ' οὐδέ πω λήξαντ' ἔχει, Ellendtius vero et Dindorfius in lexicis Sophocleis locum de quo agimus „famam celebrari nondum desitam" interpretantur („de fama minime dum composita audire quid verum sit" Ellendt. s. v. μηδαμά). Senserunt scilicet, si λῆγον legeretur, notionem quae inest in μήπω abesse vix posse. In Wunderi porro versione „quae late dissipata est neque desinit dissipari, auditionem audire recte cupio" negatio tantum quae in adverbio μηδαμά inest redditur. Mea autem mutatione λῆθον, quae lenissima est, efficitur haec, ut mihi videtur, satis apta sententia: noli credere nos nihil de miseria tua scire, sed certius aliquid, quam quod fama fert, ex te ipso audire cupimus[1]). Habemus igitur in verbis „famam late divulgatam ac minime latentem" frequentissimum illum pleonasmum, cuius pauca exempla Sophoclea appono: Oed. R. 58 γνωτὰ κοὐκ ἄγνωτά μοι προσήλθεθ' ἱμείροντες, ibid. 1230 ἑκόντα κοὐκ ἄκοντα, ib. 1275 πολλάκις τε κοὐχ ἅπαξ, Oed. Col. 397 ἥξοντα βαιοῦ κοὐχὶ μυρίου χρόνου, ib. 935 βίᾳ τε κοὐχ ἑκών; item plenae sententiae iterantur forma negativa, velut El. 131 sq., ib. 222, Phil. 207.

1) vd. Nauck. ad 517 sq.: *Widerstreben ist unnütz, da die Kunde von deinen Schicksalen keineswegs verborgen ist: nur genaueres wünsche ich zu wissen.*

Sed altera causa accedit, cur codicis scriptura λῆγον minus mihi placeat. Nam si vertimus „famam late divulgatam et quae minime desinit“ sc. divulgari, in verbis poetae nulla exstat notio, ex qua illud verbum subintellegatur, quippe cum ex adiectivo πολύ verbum veluti ἐκφέρεσθαι vel διαδίδοσθαι suppleri non possit. Diversa autem eius loci ratio est, quem Nauckius affert ex Oedipode Rege (731), ubi ad λήξαντ' ἔχει facile suppletur αὐδώμενα.

Oed. Col. 866. Alter locus continetur versu 866. Creontem, qui Ismena iam ante abrepta (cf. 818 sq.) etiam Antigonam modo per vim abduxit atque adeo in senem ipsum manus iam intentat, Oedipus exsecratur. Verum quia in luco Furiarum versatur, quae εὐφημίᾳ vel taciturnitate colendae erant, has antea orat, ut sibi liceat coram ipsis filiarum raptorem exsecrari:

μὴ γὰρ αἵδε δαίμονες
θεῖέν μ' ἄφωνον τῆςδε τῆς ἀρᾶς ἔτι,
ὅς μ', ὦ κάκιστε, ψιλὸν ὄμμ' ἀποσπάσας
πρὸς ὄμμασιν τοῖς πρόσθεν ἐξοίχει βίᾳ.

Vix est, quod moneam pronomen relativum ὅς, quod non habere videtur, quo referatur, referendum esse ad pronomen quod in antecedentibus latet, tamquam si antecedat τῆςδε τῆς ἀρᾶς τῆς ἐς σέ. Quod fieri posse editores pluribus exemplis probaverunt, sed nullo similiore huic loco quam v. 731 sq. eiusdem fabulae τῆς ἐμῆς ἐπεισόδου, ὃν μήτ' ὀκνεῖτε κτλ. Deinde ὄμμα recte scholiasta adnotavit Antigonam intellegi, quae cur ita dicatur, ex versibus 33 sq., 146 sq. satis elucet; sed v. 867 ab figurato vocabuli usu ad proprium transiri constat inter omnes. Iam vero ψιλόν vocabulum editoribus iustas dubitationes movit. Atque Volckmarus quidem solus in Philol. XXIII (1866) ψιλὸν ad pronomen μὲ referendum iudicavit: quod fieri non potest, quoniam ὄμμα nisi aliquo modo voce ψιλὸν accuratius definiri putamus omnino non intellegitur. Itaque Jacobsius ψιλὸν interpretatur per ἀσθενές, ita ut miseram Antigonae condicionem omni auxilio destitutae significatam putet, nescio an minus probabiliter (vd. quae Hermannus contra eandem Reisigii sententiam adnotat) quam Dindorfius, qui explicat

„solum meum praesidium, Antigonam“. Sed cum vix possit credi *φιλὸν ὄμμα* pro *μοῦνον ὄμμα* dici licuisse, nec magis Hermanni ratio placeat interpretantis „vilem oculum *(das armselige Auge)*“ aut Wecklini (ed. Oed. Col., 1880), qui *ψιλὸν ὄμμα* breviter dictum putat „*das Auge des seiner Augen Entblössten, das Auge des Blinden*“, equidem Nauckio assentior, qui primus verba tradita in suspicionem vocavit. Inde quae propositae sunt emendationes, neque Meinekii scriptura *φίλιον* neque *πιστὸν* Rauchensteinii neque vero Froehlichii *ψιλὸν ὄμματος τιθείς* sententiae satisfaciunt. Vere enim Campius (quaestionum Soph. pars III, Greiffenberg. 1867) non respondere sibi *φίλιον ὄμμα* et *τὰ πρόσθεν ὄμματα* monet, ergo parum aptum esse quod Meinekius voluit; respondent sibi, inquit ille, proprius oculus et filiae. Idem convenit in Rauchensteinii coniecturam: non conveniat, si quis *πύματον* aut *λοῖσθον* aut *λοιπὸν* coniciat aut, quod magis mihi arrideat, *τὸ φίλον ὄμμα*: articulus enim — cum vi quadam demonstrativa — facile elicitur ex antecedenti vocabulo *κάκιστε*. Neque tamen aut sic poetam scripsisse aut, ut Campius l. l. voluit, utrumque versum 866, 867 interpolatum esse iudico, sed reponendum mihi videtur *παιδὸς ὄμμα*, quae coniectura neque a codicum scriptura ita multum differt et sententiam reddit planam ac perspicuam neque eam ineptam. Immo adnumerandus hic locus erit iis, ubi *ὄμμα* „in periphrasi“ est (Dindorf. lex. Soph.); „circumlocutioni constituitur, sed eleganti verae significationis sensu admixto“ (Ellendt.). Conferri autem iubeo ad *παιδὸς ὄμμα* chori verba Ai. 140 *πεφόβημαι πτηνῆς ὡς ὄμμα πελείας*, ubi *ὄμμα πελείας* pro *πέλεια* dici, quia oculorum nictatione animi motus significetur, Lobeckius vere adnotat, et Trach. 527 *τὸ δ' ἀμφινείκητον ὄμμα νύμφας ἀμμένει*, quod scholiasta *ἀντὶ τοῦ περιμάχητος νύμφη, περιφραστικῶς* dictum putat. Eodem referendum videtur Ai. 977 *ὦ φίλτατ' Αἴας, ὦ ξύναιμον ὄμμ' ἐμοί*, fortasse etiam Ai. 1004 (cf. Dindorf. ed. III. Oxon. 1860 ad h. v.) et Phil. 171, ubi vulgo „species oculis obiecta“ intellegitur. Nostro nimirum loco *παιδὸς ὄμμα* pro *παῖδα* positum est, quia Antigona et pro caeco patre videt oculis (propterea v. 867 *πρὸς ὄμμασιν τοῖς πρόσθεν*, cf. v. 33) et ea una patri omnia est, deliciae

ac voluptas unica, qua significatione *ὄμμα*, sic ut apud Romanos oculus vel ocellus, frequentatur.

Iam restat una difficultas, quam interpretes temere praeterierunt, verbum *ἀποσπάω* dico cum duplici accusativo coniunctum. Offendo enim vel maxime in verbis *ἀποσπάσας με ὄμμα*, quae quamquam editores omnes sic coniungenda existimant, nisi si quis mutare mavult, tamen id fieri posse non efficiunt. Nam quod Wunderus, Nauckius, alii dicunt verbum *ἀποσπᾶν* similiter atque *ἀφαιρεῖσθαι* et alia eiusdem generis cum duplici accusativo coniunctum esse, nihil hoc valet contra id, quod in omnibus Graecorum scriptis nusquam *ἀποσπᾶν* cum accusativo et personae et rei invenitur, at saepissime cum genetivo et accusativo apud Sophoclem, Euripidem, Platonem, Polybium, Plutarchum, interdum etiam *ἀπό*, nonnunquam *ἐκ* praepositione addita.

Quae cum ita sint, Dindorfio pronomen *μ'* fortasse delendum, Blaydesio *ὅς γ'* legendum videtur. Quorum cum neuter loci sententiae satisfecerit, conicio:

ὅς μου, κάκιστε, παιδὸς ὄμμ' ἀποσπάσας
πρὸς ὄμμασιν τοῖς πρόσθεν ἐξοίχει βίᾳ

comparato versu 895, ubi Oedipus iniuriam a Creonte acceptam Theseo indicans sic loquitur:

Κρέων ὅδ', ὃν δέδορκας, οἴχεται τέκνων
ἀποσπάσας μου τὴν μόνην ξυνωρίδα,

qui locus prorsus similis est ei de quo agimus. Ceterum cf. Ai. 1024, 1176, El. 809, Oed. R. 1432.

Oed. Col. 923. Tertius locus, ad quem tractandum nunc aggredior, legitur in versu 923. Theseus clamoribus Antigonae et chori vocatus sacrificio interrupto accurrit, Creontem, qui etiam Oedipum vi abducere conatur, appellat negatque ante e civitate sua exiturum esse quam virgines raptas reddiderit; deinde vero obiurgat, quod raptu illo et se ac civitatem suam et ipsius patriam atque amicos dedecoraverit:

καίτοι σε Θῆβαί γ' οὐκ ἐπαίδευσαν κακόν·
οὐ γὰρ φιλοῦσιν ἄνδρας ἐκδίκους τρέφειν,
οὐδ' ἄν σ' ἐπαινέσειαν, εἰ πυθοίατο

συλῶντα τἀμὰ καὶ τὰ τῶν θεῶν βίᾳ
ἄγοντα φωτῶν ἀθλίων ἱκτήρια.

Agitur videlicet extremo versu de solo Oedipode, quem filiabus abreptis Creon iam ad eam audaciam procedit, ut ipsum quoque abducere conetur: qui quod plurali numero *φῶτες ἄθλιοι* significatur, id a poetarum usu non abhorrere constat, vd. Nauck. ad Ant. v. 10. Sed in insolenti locutione *φωτῶν ἀθλίων ἱκτήρια* offendo, quam interpretes tantum non omnes idem valere putant quod *φῶτας ἀθλίους ἱκετηρίους* (quomodo id fieri posset, nemo dixit); unus Vauvillersius aliter sentit, miram ille quidem interpretationem ipse quoque admovens: ei enim „insignia supplicandi“ significari videntur, quibus mortales ad deos accedunt, — quod minime cum verbo *ἄγειν* „vi secum trahere“ conciliari posse Ellendtius recte monet. Quodsi ad opinionem editorum vulgatam revertimur, parvam ea habet probabilitatem. Cur enim poeta, cum posset *φῶτας ἀθλίους ἱκτηρίους* scribere, obscura illa locutione uti maluerit, non intellego. Similia autem exempla allata non sunt, nisi forte quis putat locis, qui ita sunt comparati ut v. 701 *φύλλον ἐλαίας*, 1693 *ὦ διδύμα τέκνων ἀρίστα*, Phil. 314, 321 *Ὀδυσσέως βία*, Oed. R. 830 *θεῶν σέβας*, ea de quibus agimus verba defendi. Qua de causa in hoc versu, modo ne a Sophocle abiudicandus sit, scribi velim *φωτὸς ἀθλίου βακτηρία* (dual.) vel *βακτήρια* (plural. vocabuli *βακτήριον*, quo Aristophanes utitur), ita ut Antigona et Ismena quasi bacula vel adminicula patris infelicis nominentur. Quamquam nec *βακτηρία* nec *βακτήριον* apud Sophoclem aut Aeschylum legi non ignoro. Sed eodem sensu in hac fabula v. 848 *οὔκουν ποτ' ἐκ τούτοιν γε μὴ σκήπτροιν ἔτι ὁδοιπορήσῃς* legitur et, quod etiam aptius cum eo de quo agimus versu comparatur, v. 1109 *ὦ σκῆπτρα φωτός*. Atque hoc ipso loco nisus singularem quoque numerum *φωτὸς ἀθλίου* praeferendum puto, praesertim cum reputetur vocabulo *βακτήρια* in *ἱκτήρια* corrupto, ne hiatus ordinem verborum turbaret, numerum pluralem pro singulari scribi necesse fuisse.

Eiusdem fabulae versus 1235 sqq. ita leguntur: **Oed. Col. 1236.**

τό τε κατάμεμπτον ἐπιλέλογχε
πύματον ἀκρατὲς ἀπροσόμιλον
γῆρας ἄφιλον, ἵνα πρόπαντα
κακὰ κακῶν ξυνοικεῖ.

Offensionem mihi movet adjectivum *πύματον*, quod apud Aeschylum nusquam, apud Sophoclem praeter hunc locum etiam Oed. R. 663 et Oed. Col. 1675 traditum est. Quibus quod quartum, si Dindorfium audimus, exemplum accedere debet Ant. 878, de hoc deinceps inde videbimus. Ac primum quidem constat de Oed. R. 663 *ἐπεὶ ἄθεος ἄφιλος ὅ τι πύματον ὀλοίμαν, φρόνησιν εἰ τάνδ' ἔχω* et de Oed. Col. 1675 *ἐν πυμάτῳ δ' ἀλόγιστα παροίσομεν ἰδόντε καὶ παθόντε* (pro *παθούσα* Brunck.), quorum uterque locus recte se habet. Atqui et prioris loci *πύματον* et posterioris *ἐν πυμάτῳ* a scholiasta disertis verbis explicatur: schol. vet. ad Oed. R. 663 *Ὅτι πύματον*] *Ἀντὶ τοῦ, ἔσχατος* (*ἐσχάτως* Brunck.) *ἀπολοίμην*, id. ad Oed. Col. 1674 *Ἄλλοτε μὲν πόνον*: *Πρότερον μὲν, τινὰ ἐπάσχομεν ἐπὶ τῷ πατρί· τὸ δὲ πύματον τοῦτο καὶ ἔσχατον κτλ.* (schol. rec. ad Oed. R. 663 *φθαρείην ὅπερ ἔσχατον, ἤγουν ἀπώλειαν ἥτις ἐσχάτη, τουτέστι φθαρείην ἐσχάτην ἀπώλειαν*). Nihil scholiastae ad Oed. Col. v. 1236 adscripserunt, qui tamen prior explicandus erat quam versus 1675. An temere casuve id evenisse arbitrabimur? Equidem potius scholiastam nostro loco *πύματον* non legisse putaverim sed genuinam scripturam fuisse

τό τε κατάμεμπτον ἐπιλέλογχεν
ἄ ϋ π ν ο ν ἀκρατὲς ἀπροσόμιλον
γῆρας ἄφιλον,

quae haud scio an eo confirmetur, quod La in voce *ἐπιλέλογχε* teste Dindorfio secundum *ε* in litura duarum litterarum habet. Iam aptissime mihi videtur *ἄϋπνον*, non ut *πύματον* cum verbo *ἐπιλέλογχε* eius qui antecedit versus, sed cum iis quae sequuntur verbis *ἀκρατὲς ἀπροσόμιλον γῆρας ἄφιλον* coniungi: adiunguntur enim malis senectutis etiam insomniae. Similiter autem *γῆρας ἄϋπνον* dicitur ab Euripide Iph. A. 4, *ἄϋπνοι ἄγραι* ab ipso Sophocle Ai. 880. Postremo *ὕπνος* et *ἄϋπνος* in diverbiis non minus quam in melicis et producta et correpta syllaba paenultima usurpari

multis Aeschyli, Sophoclis, Euripidis exemplis probatur: appono Aesch. Sept. 3, Soph. Phil. 848 (ὕπνος ἄϋπνος), Eur. Or. 83, Suppl. 1137.

Reliquum est, ut de Ant. v. 878 dicam, ubi, cum tradita scriptura τάνδ' ἑτοίμαν ὁδόν propter metrum suspecta esset, Dindorfius praeeunte Reiskio τὰν πυμάταν ὁδόν scripsit, cl. v. 807 τὰν νεάταν ὁδόν (στείχουσαν). Immo etiam hic τὰν νεάταν ὁδόν scribendum puto ob eandem causam, qua de causa Oed. Col. 1236 πύματον reieci. Neque enim magis νεάταν a traditis verbis recedit quam πυμάταν, et tale vocabulum, quod ubicunque occurrit scholiastae explicare necesse habent, ultro in fabularum contextum inculcare dubito. Recte vero Nauckius monet Antigonam epodo ad easdem querelas recurrere quas strophae initio 806 sqq. profuderit: num eisdem illam verbis τὰν νεάταν ὁδόν (ἄγομαι vel ἔρχομαι) uti alienum nobis videbitur? Ant. 878.

Ad extremum corruptum esse iudico versum 966: Oed. Col. 966.

ἐπεὶ καθ' αὑτόν γ' οὐκ ἂν ἐξεύροις ἐμοὶ
ἁμαρτίας ὄνειδος οὐδὲν ἀνθ' ὅτου
τάδ' εἰς ἐμαυτὸν τοὺς ἐμούς θ' ἡμάρτανον.

Homines docti censent καθ' αὑτόν a Sophocle dictum esse pro κατ' ἐμαυτόν, quod disertis verbis Meinekius, Nauckius, Kuehnerus (*Ausführliche Grammatik der griech. Sprache*[2], *§ 455, 7, b*), al. indicant. Hoc aut omnino aut nisi certa quadam lege a Sophocle dictum non esse demonstrabo.

Ac dictum esse pronomen reflexivum tertiae personae de prima et secunda persona constat, et pluralem quidem magis quam singularem numerum, praesertim in prosa oratione posterioris temporis. Sunt autem in hac quaestione et aetates et scriptores discernendi: veluti ab Homero iam Aristarchus hunc usum alienum, itaque nonnullos locos aut mutandos aut interpolatos esse iudicavit.

Afferam igitur locos Sophocleos, quibus efficere volunt etiam Sophoclem pronomine reflexivo tertiae personae de prima et secunda persona usum esse, servata interim vulgata scriptura αὑτοῦ etc.

De prima persona, ut vulgo censent, ἑαυτοῦ etc. dictum est

Ai. 1132 *τούς γ' αὐτὸς αὑτοῦ πολεμίους* (scil. *οὐκ ἐῶ θάπτειν*).
El. 285 (*κλαίω*) *αὐτὴ πρὸς αὑτήν.*
Oed. R. 138 *ὑπὲρ γὰρ οὐχὶ τῶν ἀπωτέρω φίλων,*
ἀλλ' αὐτὸς αὑτοῦ, τοῦτ' ἀποσκεδῶ μύσος.
Addunt interpretes hunc ipsum locum de quo disputo.

De secunda persona

Oed. Col. 853 *αὐτὸς αὑτὸν οὔτε νῦν καλὰ δρᾷς οὔτε κτλ.*
Oed. Col. 930 *αἰσχύνεις πόλιν τὴν αὐτὸς αὑτοῦ.*
Oed. Col. 1356 *τὸν αὐτὸς αὑτοῦ πατέρα τόνδ' ἀπήλασας.*
Trach. 451 *εἰ δ' αὐτὸς αὑτὸν ὧδε παιδεύεις κτλ.*

Quos locos percurrens nemo non videt *αὑτοῦ* pronomen reflexivum de prima aut secunda persona non inveniri nisi cum pronomine *αὐτός* „ipse" coniunctum, pluralem autem *αὑτῶν* etc. pro amplioribus formis *ἡμῶν αὐτῶν* vel *ὑμῶν αὐτῶν* etc., quarum formarum incommoditatem causam primariam notabilis illius usus fuisse putant, omnino non exstare. Obstat huic meae sententiae priori unus locus de quo agimus, Oed. Col. 966, quem et propter hanc ipsam causam corruptam esse et propter alteram quandam persuasissimum habeo. Nam ut concedamus *καθ' αὑτόν* dictum esse pro *κατ' ἐμαυτόν*, quis laudabit hanc pronominum copulationem *κατ' ἐμαυτόν γ' οὐκ ἂν ἐξεύροις ἐμοί?* Immo nego reflexivum pronomen hic omnino admitti potuisse, quod quomodo editores defendere vellent, nemo satis indicavit: neque enim quisquam scribit coniungendum id esse cum verbo *ἡμάρτανον* (v. 968), cf. Nauckii versionem: „*Mir persönlich kannst du nicht den Vorwurf des Frevels machen für das was ich frevelte.*" Itaque et emendandum esse puto versum 966 et facillime emendari. Scribendum enim est

ἐπεὶ τοσοῦτόν γ' οὐκ ἂν ἐξεύροις ἐμοὶ
ἁμαρτίας ὄνειδος οὐδὲν ἀνθ' ὅτου
τάδ' εἰς ἐμαυτὸν τοὺς ἐμούς θ' ἡμάρτανον.

i. e. „tantam in me reperies culpam nullam, pro qua ut punirer haec ego in me ac meos commiserim". Ante enim illos *φόνους καὶ γάμους* (v. 962) ab Oedipode invito et insciente factos (v. 964 sq.) nullum tantum facinus commiserat. ut dignus esset, qui parricidio et incesto obstringeretur. Sic mihi videtur sanatus esse locus, quem nemo adhuc recte

interpretatus sit. Neque vero *ὄνειδος* hic est exprobratio, sed probrum, crimen, ignominia, ergo *ἁμαρτίας ὄνειδος* non multum differt ab ipsa *ἁμαρτία*, delictum, scelus, facinus, neque *ἁμαρτία* explicatur (vd. Nauck.) enuntiato relativo *ἀνθ' ὅτου-ἡμάρτανον*, sed hoc enuntiatum propriam ac necessariam habet potestatem, ita quidem ut *ἀνθ' ὅτου* non valeat *„für das was“* = *ἀντὶ τούτων ἅ* vel *ἀντὶ τούτων ὅτι*, sed ad *ἁμαρτίας ὄνειδος* referendum sit. Fortasse vestigium genuinae scripturae etiam latet in litteris *ὅ σ'*, quas ante *ἁμαρτίας* elutas Dindorfius adnotat.

Iam altera quaestio oritur, num in reliquis septem locis Sophocleis vulgatam scripturam retinendam esse censeamus. Nam quamvis manifestum sit, si unum Sophoclem respicimus, totam hanc quaestionem ad finem perduci non posse (de Homeri usu nuper Carolus Brugmann disseruit eo libro qui inscribitur *„ein Problem der homerischen Textkritik und der vergleichenden Sprachwissenschaft“* (1876) et qui huius libri censuras scripserunt cum alii tum Flachius et Kammerus; cf. Fleckeis. ann. 1876, 1877, 1878, 1879), tamen meum de Sophoclis usu iudicium perscribere non dubito. Hoc enim patet *αὑτοῦ*, si modo *αὑτοῦ* scribendum est, non de prima aut secunda persona nisi cum pronomine *αὐτός* coniunctum a Sophocle dici. Librorum autem, qui in his locutionibus *αὐτὸς αὑτόν* etc. fluctuantes spiritum modo lenem modo asperum habent, in hac re nulla est auctoritas.

Contra Elmsleium, qui ad Eur. Heracl. 144 (a. 1821) defendit, *αὑτόν* et similia a Sophocle et Euripide (cf. tamen eundem ad Bacch. 722 [a. 1822]) nunquam de prima aut secunda persona usurpari ac propterea illo loco *αὐτοὶ κατ' αὐτῶν* pro librorum scriptura *αὐτοὶ καθ' αὑτῶν* legi vult, Hermannus disputavit ad Soph. Trach. 451 statuitque Elmsleium aut longius iusto aut non quo debebat usque progressum esse. „Nam, inquit, si de prima et secunda persona *αὐτὸς αὑτόν* dici volumus, cur non etiam de tertia? Quodsi etiam talia, quale illud in Choephoris [Aesch. Ch. 1014] *νῦν αὑτὸν αἰνῶ*, quod est *ἐμαυτόν*, removebimus, etiam tertiae personae concedendum est *αἰνεῖ αὑτόν* = se laudat.“ Hoc ego apud Sophoclem certe non concedo: concedo *αἰνεῖ αὐτὸς αὑτόν*, quod proprie est: ipse ipsum laudat,

ergo: se ipse laudat. Itaque *αὐτὸς αὑτόν* si coniuncta dicuntur, apud Sophoclem semper spiritu leni utendum esse existimo, ita ut ambae sint formae pronominis *αὐτός* „ipse“, quod altero loco fortius quodammodo pro pronomine reflexivo ponatur, etiamsi subiectum tertia persona est, velut Ant. 1177 *αὐτὸς πρὸς αὐτοῦ* (*ὄλωλεν*). Ipso hyperbato, quae figura saepe inest in his locutionibus (Ai. 1132, Oed. R. 138, al.), qua arta duorum pronominum coniunctio efficitur, Elmslei scripturam, qua eadem Bergkius utitur, confirmari puto. Sentit cum his Bernhardyus in syntaxi linguae graecae (Berol. 1829) p. 287 et Ahrensius de dialecto dorica p. 274.

Plat. Symp. p. 185 B. Appendicis loco, quanti et quales errores in ipsis his pronominibus *αὐτός*, *αὑτοῦ*, *αὐτοῦ* a librariis minus curiosis profecti sint, loco quodam Platonico demonstrabo, quem certissima ratione mihi videor emendavisse. Leguntur enim in Platonis Symposio p. 185 B, ubi Pausanias vulgarem amorem et amorem caelestem discernit, haec:

οὗτός ἐστιν ὁ τῆς οὐρανίας θεοῦ ἔρως καὶ οὐράνιος καὶ πολλοῦ ἄξιος καὶ πόλει καὶ ἰδιώταις, πολλὴν ἐπιμέλειαν ἀναγκάζων ποιεῖσθαι πρὸς ἀρετὴν τόν τε ἐρῶντα αὐτὸν αὑτοῦ καὶ τὸν ἐρώμενον· οἱ δ' ἕτεροι πάντες τῆς ἑτέρας, τῆς πανδήμου.

Cod. Oxon. s. Clark. n. 39 et cod. Vat. n. 225 (in editione Symposii Jahniana altera ab Usenero recognita) habent *αὐτὸν αὑτοῦ*, cod. Ven. teste Martino Schanz (Platonis opera ad codices denuo collatos ed., Symposion 1881) *αὐτὸν αὐτοῦ*.

Bastius *Krit. Vers.* p. 37 coniecit *καὶ τοῦ ἐρωμένου* assentientemque habuit Astium. Tum vero scribendum fuisse *τὸν ἐρῶντα αὐτόν τε αὑτοῦ κτλ.*, quod *αὐτόν* accentum rhetoricum haberet, recte animadversum est a Stallbaumio (ed. III, 1852) et Rueckerto et eo qui nuper Symposium Platonis recensuit (Halis 1875) et explicavit (ibid. 1876), Rettigio in prioris libri commentario critico. Iam vero ipsius Stallbaumii[1]) eademque Rueckerti sententia, qui post

1) In St. sententiae explicatione: „amor caelestis utrumque, et amatorem et eum qui amatur, impellit et cogit, ut omnem curam ponat in studio virtutis et sapientiae“ pronomina illa prorsus sunt neglecta.

τὸν ἐρώμενον rursus αὐτὸν αὐτοῦ intellegi iubent, iure repudiata Rettigius quomodo verba interpretari velit, non assequor.

Nec magis ei qui Platonis opera verterunt vim pronominum perspexere. Vertit enim Schleiermacherus (Berol. 1824): „*Dieses ist der Eros der himmlischen Göttin und selbst himmlisch und viel werth dem Staat und den Einzelnen, indem er den Liebenden nöthiget, viel Sorgfalt auf seine eigene Tugend zu wenden und auch den Geliebten; jeder andere Eros aber gehört der anderen, der gemeinen*“[1]); Hieronymus Müller (Lipsiae 1854): „*Das ist der Eros der himmlischen Göttin, und ein himmlischer und von hohem Werthe für den Staat und die Einzelnen, indem er den Liebenden sowohl wie den Geliebten viele Sorgfalt auf seine Tugend zu wenden nöthigt; der andere Eros aber gehört der gemeinen an.*“ Neuter pronomina satis respexit.

Rectius hunc locum interpretati sunt Lehrsius *(Plato's Phädrus und Gastmahl, 1870)* et qui eodem fere tempore quo Rettigius hunc dialogum enarravit, Arnoldus Hug (Lps. 1876), quorum hic αὐτοῦ ex voce ἐπιμέλειαν pendere dicit, ille verba de quibus agitur sic vertit: „*Das ist die Liebe der himmlischen Göttin, himmlisch und hochzuhalten von Städten und Einzelnen: eine Nöthigung, die äusserste Sorgfalt zur Vervollkommnung auf sich selbst zu wenden, für den Liebenden wie für den Geliebten: — alle andre Liebe aber gehört der andern Göttin an, der irdischen.*“ At enim maxime offendo in collocatione verborum, quae non recte mihi videtur defendi eo quod Hugius apposuit exemplo Alc. II, 144 C οὐδ' ἐκεῖνος — τὴν ὁτονοῦν μητέρα διενοεῖτο ἀποκτεῖναι ἀλλὰ τὴν αὑτὸς αὑτοῦ, quae quidem hyperbati figura (vd. supra ad Oed. Col. 966) apud poetas saepe occurrit, cf. Kruegeri Gr. gr. § 51, 2, 13. — Nihil novi ad hunc locum attulerunt Jungius *(Plato's Gastmahl, übersetzt und erläutert, 1880)*, Schanzius (1881), Schmelzerus (1882).

---

1) adnotat Schl.: „*Besser würde der ganze letzte Theil der Rede aufgenommen, wenn es hiesse: und auf die des Geliebten; aber keine Handschrift liest, wie zu wünschen wäre, τόν ἐρῶντα αὐτὸν αὐτοῦ καὶ τοῦ ἐρωμένου.*“

Sed ut meam sententiam promam, delendum puto *αὑτοῦ*, quippe quod librarii alicuius incuria in verborum contextum irrepserit, itaque scribendum

τόν τε ἐρῶντα αὐτὸν καὶ τὸν ἐρώμενον,

„et eum qui tali amore amat et eum qui amatur", scil. tali amore. Habemus igitur accusativum qui dicitur obiecti interioris: *ἔρωτα ἐρᾶν*, sic ut p. 181 B in. *Ὁ μὲν οὖν τῆς πανδήμου Ἀφροδίτης* (sc. *Ἔρως*) *ὡς ἀληθῶς πάνδημός ἐστι καὶ ἐξεργάζεται ὅ τι ἂν τύχῃ· καὶ οὗτός ἐστιν ὃν οἱ φαῦλοι τῶν ἀνθρώπων ἐρῶσιν.* Nec vereor, ne quis opponat mihi, quia eo loco de quo agimus *ἔρως* ipse subiectum sit sententiae, pronomen reflexivum *αὑτὸν* requiri: immo prorsus nego in tali genere accusativi reflexivum potuisse poni.


Index locorum de quibus agitur.

Vita.

Natus sum Joannes Gilbert Budissae in urbe Lusatiae pridie Non. Jul. anni h. s. LIV. patre Roberto Ottone, matre Adelheida e gente Schaarschmidtiana, quos adhuc salvos esse gaudeo laetorque; fidem profiteor evangelicam. Minor duodecim menses natus cum parentibus Dresdam transmigravi, ubi primis litterarum elementis in ludo privato Boettcheriano imbutus a. h. s. LXV. in gymnasium gentis Vitzthumianae receptus sum. Inde a. h. s. LXVII. in numerum alumnorum scholae regiae Afranae adscitus, quae tum auspiciis Friderici Franke et qui eum secutus est Hugonis Ilberg floruit et nunc Hermanno Peter rectore floret Misenae, huius gymnasii illustris disciplinae doctrinaeque et humanitati praeceptorum meorum omnium quanta accepta referam, memori animo et grato semper recordabor. Anno LXXIII. maturitatis testimonio accepto inter universitatis Lipsiensis cives academicos receptus scholas frequentavi per quattuor annos continuos Curtii, Drobischii, Ebersii, Ecksteinii, Langii, Lipsii, Overbeckii, Ritschelii, Roscheri, Struempellii, Voigtii, Zarnckii. Praeterea per unum semestre socius fui societatis archaeologicae Overbeckianae, tum seminarii regii archaeologici per duos annos socius ordinarius et senior, per unum annum seminarii regii philologi soc. ord., per unum annum seminarii regii paedagogici soc. ord.; societatum porro frequentavi exercitationes Lipsianae per unum semestre, Ritschelianae et antiquariae Langianae per terna spatia semestria. Omnibus his viris optime de me meritis gratias ago maximas.

Aestate anni h. s. LXXVII. examine pro candidatura superato summi Saxonici regii Ministerii benignitate Budissam me conferre iussus sum, inde Misenam vere anni h. s. LXXX., ubi etiam nunc eiusdem, cuius ipse quondam fui alumnus, gymnasii discipulos docendi munere optatissimo fungor.


LIBRARY UNIVERSITY OF CALIFORNIA



108013

